C. IVLII HIGINI, AVGVSTI LIBERTI, POETICON ASTRONOMICON, AD VETERVM exemplarium eorumq; manuscriptorum fidem diligentissime recognitum, & ab innumeris, quibus scatebat, uitiis repurgatum.

SALINGIACI OPERA ET IMPENSA IOANNIS SOTERIS,
Anno M. D. XXXIX.
MENSE MARTIO.

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali, ad sexennium.

IOANNES SOTER LECTORI CANDIDO S.

Vum iam dudum lector optime, quotidianis quasi cõuiciis amicorũ nonnulli flagitassent, ut libellũ Higini, doctissimi illius Grammatici, cui titulũ, Poëticon Astronomicon, feciſſe creditur, in publicum aliquãtò, q̃ nunc circunfertur emendatiorẽ emitterẽ: essemq̃; illis haud grauatè pollicitus me morẽ gestu rum: cõmittere nolui, ut tam pio desiderio diutius frustrarẽtur. Cum igitur illi manus admoliri cœpissem, prçter omnem adeo spem plus q̃ deprauatissimũ esse cõperi, & planè, ut id quod res est dicam, talẽ, qui nõ βαναύσου cuiusuis, quales ferè sumus typographi, sed cuiuspiam in literis non sortis proletariæ, operã desideraret, qui illũ pristino suo nitori, restitueret. Ego igitur ne uanus essem promissor, animum despõdere nolui, sed consultis aliquot, quæ ad id argumẽti facere uidebãtur autoribus, collatisq̃; multis adeo Higini exemplaribus, & in iis duobus manu, sic satis, ut eius ætatis ratio ferebat, emendate descriptis, innumera illius uulnera, cœpi ἐφαπτόμην: & nisi nimium sum φιλαυτὸς, sic illum tractasse me puto, ut non ita procul à genuina sua integritate absit. Non diffiteor tamen, restare deplorata quædã ulcera, quæ uixdũ, nisi emẽdatioris codicis, q̃ quales mihi obtigere, beneficio restitui atq; sanari possint. Sunt itaq; non pauca à nobis immutata à ueteri lectione, quædã loco mota, nonnulla pro rei ratione reiecta atq; item addita. Consiliũ erat itaq; ueteris subinde immutatæ lectionis causas adiicere, ut ne quid temere immutatum uideri possit (id quod nõnullis castigatoribus parũ prudentibus usuueniſſe aliquoties deprehendimus) simul ne ita esset procliue, uixdum tandẽ restituta, postliminio deprauare. Quod instituto si secuti essent illi (atq; utinã secuti essent) qui primi nobis utriusq; linguæ autores diuulgarunt, fuissent illi nõ adeò pessime de illis, deq; uniuersa re literaria meriti. Sed de his, quãdo nunc nõ licuit, aliàs. Cæterũ quòd ad asterismos, stellarumq̃; in iis numerũ totamq̃; rationem attinet, Higini descriptionem haudquaquàm secuti sumus, sed ueriorem longè atq; exactiorem, nempe Ptolemaicam. Constat enim, Aratum ipsum, quem Higinus se secutum testatur, οὐ πάνυ ἀκριβῶς, ut Leontius inquit Mechanicus, neq; πρὸς τὸ ἀκριβὲς, ἀλλὰ πρὸς τὸ χρήσιμον ἔτι ναυτιλλομένοις, hoc est, nõ optime atq; exacte admodũ, sed quantum nautis conducere ui debatur, de sideribus scripsisse. Boni igitur consule lector, ac feliciter fruere, ac interim uale. Coloniæ, XIIII. Calen. April.

Digitized by Google

C. IVL. HIGINI

VIRI CLARISS. POETICON ASTRONOMICON DE MVNDI EST PHAERAE, AC VTRI. usque partium declaratione, Liber Vnus.

PROOEMIVM.

C. IVL. HIGINVS M. FABIO P. S.

TSI TE STVDIO GRAMMATICAE artis inductum, non solū uersuum moderatione, quam pauci peruiderunt, sed historiarū quoq; uarietate, qua scientia rerum perspicitur, præstare uideo, quę facilius scriptis etiam tuis perspici potest, desiderans potius scientem quā liberalem iudicem, tamē quo magis exercitatus, & nōnullis etiam sæpius in his rebus occupatus esse uidear, & ne nihil in adolescentia laborasse dicerer, & imperitorum iudicio desidiæ subirem crimen, hoc uelut rudimento scientiæ nisus scripsi ad te, non ut imperito monstrans, sed ut scientissimū commonens. I. Sphærę figurationē, circulorumq; qui in ea sunt notationem, & quæ ratio fuerit, ut non æquis partibus diuiderentur. II. Præterea terrę marisq; definitionē: & quę partes eius non habitantur, ut multis iustisq; de causis hominibus carere uideantur, ordine exposuimus. III. Et rursus redeuntes ad sphæram, duo & quadraginta signa nominatim pernumerauimus. IIII. Exinde uniuscuiusq; signi historias causamq; ad sidera perlationis ostendimus. V. Eodē loco nobis utile uisum est, persequi eorum corporum deformationes, & in his numerum stellarum. VI. Nec prętermisimus ostēdere ad septē circulorum notationem, quæ corpora aut partes corporum peruenirent, & quemadmodum ab his diuiderentur. VII. Diximus etiam in æstiui circuli definitione, quærentes quare non idem hyemalis uocaretur: & quid eos fefellerit, qui ita senserint: Et quid in ea parte sphæræ solis efficiat cursus. VIII. Præterea, quare circulos in octo partes diuideremus, ordine exposuimus. IX. Scripsimus etiam quo loco circulus æquinoctialis foret constitutus, & quid efficeret ad eum perueniens sol. X. In eiusdem circuli demonstratione ostendimus, quare Aries inter sidera celerrimus diceretur. XI. Pauca præterea de hyemali circulo diximus. XII. Exinde zodiacum circulum definiuimus, & eius effectus: Et quare potius duodecim signa q̄ undecim

numerentur. Quid etiã nobis de reliquis circulis uideretur. XIII. His propoſitis rebus ad id loci uenimus, ut exponeremus, utrum mundus ipſe cum ſtellis uerteretur, an mundo ſtante, uagæ ſtellæ ferrentur: & quid de eo nobis & compluribus uideretur, quaq; ratione ipſe mundus uerteretur. XIIII. Præterea quare nonnulla ſigna celerius exorta ſerius occiderent: nonnulla etiam tardius cæteris exorta, citius ad occaſum peruenirent. Quare etiam quę ſigna pariter oriantur, non ſimul occidant. XV. Eodẽ loco diximus, quare non eſſent in ſphæra ſuperiora interioribus hemicycli æqualia: & quot modis ſtellas uidere non poſſimus. XVI. Præterea ſcripſimus in duodecim ſignorũ ortu, quæ de reliquis corpora exoriri, & quæ eodem tempore occidere uiderentur. XVII. Deinde ordine perſcripſimus, ſol utrum cum mundo fixus uerteretur, an ipſe per ſe moueretur: Et cum ipſe per ſe moueatur, & contra duodecim ſignorum ortus eat, quare uideatur cum mũdo exoriri & occidere. XVIII. Deinde protinus de lunæ curſu pauca propoſuimus: & utrum ſuo, an alieno lumine uteretur. Eclipſis ſolis & lunæ quomodo fieret: quare luna per eundem circulum iter faciens, celerius ſole currere uideatur: & quid fefellerit eos, qui ita ſenſerint. XIX. Quinq; ſtellæ quantum habeant interuallum: & utrum quinq; an ſeptem ſint: & utrum quinq; certe errent, an omnes: & quinq; quomodo currant. XX. Diximus etiam qua ratione priores aſtrologi non eodẽ tempore ſigna & reliquas ſtellas reuerti dixerint: & quare metam diligentiſſime obſeruaſſe uideantur: & quid reliquos fefellerit in eadem cauſa. In his igitur tam multis & uariis rebus, non erit mirum aut pertimeſcendum, quod tãtum numerum uerſuum ſcripſerimus: Neq; enim magnitudinẽ uoluminis, ſed rerum multitudinem peritos conuenit ſpectare. Quod ſi longior in ſermone uiſus fuero, nõ mea facũditate, ſed rei neceſſitate factũ exiſtimato: nec ſi breuius aliquid dixero, minus idẽ ualere cõfidito, q̃ ſi pluribus eſſet audiendũ uerbis. Etenim præter noſtrã ſcriptionẽ ſphæræ, quæ fuerunt ab Arato dicta obſcurius, perſecuti planius oſtendimus: ut penitus id quod cœpimus, exq; ſiſſe uideremur. Quod ſi uel optimis uſus autoribus effeci, ut neq; uerius neq; breuius diceret quiſpiam, non immerito fuerim laudari dignus à uobis, quæ uel ampliſſima laus hominibus eſt doctis: ſi minus, non deprecamur in hac confectione noſtram ſcientiam ponderari. Ideoq; maioribus etiam niti laboribus cogitamus, in quibus & ipſi exerceamur, & quibus uolumus nos probare quid poſſi-

mus. Et enim neceſſariis noſtris omnibus ſcientiſſimis maximas res ſcripſimus: non leuibus occupati rebus populi captamus exiſtimationem. Sed ne diutius de eo quod negligimus loquamur, ad propoſitum ueniemus, & initium rerum demonſtrabimus.

I. DE MVNDO.

MVndus appellatur is, qui conſtat ex ſole, luna & terra, & omnibus ſtellis.

DE SPHAERA.

SPhæra eſt ſpecies quædam in rotundo conformata, omnibus ex partibus æqualis apparens, in qua reliqui circuli finiuntur. Huius autem neq; exitus neq; initium poteſt definiri, ideo: quod in rotundo omnes tractus & initia & exitus ſignificari poſſunt.

DE CENTRO.

CEntron eſt, cuius ab initio circunductio ſphæræ terminatur, ac terræ poſitio conſtituta declaratur.

DE DIMENSIONE.

DImenſio, quæ totius oſtenditur ſphæræ, eſt cum ex utriſq; partibus eius ad extremã circunductionem rectè ut uirgulæ perducuntur: quæ dimenſio à compluribus axis eſt appellata. Huius autẽ cacumina, quibus maxime ſphæra nititur, poli appellantur: quorum alter ad aquilonem ſpectans, boreus: alter adpoſitus auſtro, notius eſt dictus.

DE SIGNIFICATIONIBVS.

SIgnificationes quædam in circunductiõe ſphæræ circuli appellantur. E quibus paralleli dicuntur, qui ad eundem polum conſtituti finiuntur. Maximi autem ſunt, qui eodem centro quo ſphæra, continentur. Horizon appellatur is, qui terminat ea quę perſpici aut non uideri poſſunt: hic autem incerta ratione definitur: quod modo polo ſubiectus, & circulis his qui paralleli dicunt: modo duobus extremis & æqualibus nixus: modo aliis partibus adiectus terræ, peruidetur ita, ut cunq; fuerit ſphæra collocata.

DE POLO.

POlus is qui boreus appellat, peruideri poteſt ſemper: notius autẽ ratione diſſimili, ſemper eſt à cõſpectu remotus. Naturalis autẽ mundi ſtatio φυσικὴ dicitur. Ea eſt in boreo polo finita, ut omnia è dextris partibus exoriri, in ſiniſtris occidere uideantur. Exortus enim eſt ſubita quædam ſpecies obiecta noſtro conſpectui. Occaſus autem

pari de cauſa, ut erepta ab oculis uiſa. In finitione mundi, circuli ſunt paralleli quinq;, in quibus tota ratio ſphæræ conſiſtit, præter eum qui zodiacus appellatur: qui eò quòd non ut cæteri circuli certa dimenſione finitur, & inclinatior aliis uidetur, λοξὸς à Græcis eſt dictus. Quinque autem quos ſupra diximus, ſic in ſphæra metiuntur, initio ſumpto à polo qui boreus appellatur, ad eum qui notius & antarcticus uocatur. In triginta partes unūquodq; hemiſphærium diuiditur, ita uti dimenſio ſignificari uideatur in tota ſphæra per ſexaginta partes factas. Deinde ab eodem principio boreo ſex partibus ex utraq; finitione ſumptis, circulus ducitur, cuius centron ipſe polus eſt finitus: qui circulus, arcticus appellat, quod intra eū arcturi ſimulacra ut incluſa proſpiciuntur: quæ ſigna à noſtris urſarum ſpecie ficta, ſeptentriones appellantur. Ab hoc circulo de reliquis partibus quinq; ſumptis, eodem centro quo ſupra diximus, circulus ducitur, qui θερινὸς τροπικὸς appellatur, ideo, quod ſol cum ad eum circulum peruenit, æſtatem efficit eis, qui in aquilonis ſunt finibus: hyemem autem eis, quos auſtri flatibus appoſitos antè diximus. Præterea, quod ultra eum circulum ſol non tranſit, ſed ſtatim reuertatur, τροπικὸς eſt appellatus. Ab hac circuli ſignificatione quatuor de reliquis partibus ſumptis, ducitur circulus æquinoctialis, à Græcis ἰσημερινὸς appellatus ideo, quòd ſol cum ad eum orbem peruenit, æquinoctium efficit. Hoc circulo facto, dimidia ſphæræ pars conſtituta perſpicitur. Ecōtrario item ſimili ratione à notio polo ſex partibus ſumptis, ut ſupra de boreo diximus, circulus ductus ἀντάρκτικὸς uocatur: quod contrarius eſt ei circulo, quem arcticon ſupra definiuimus. Hac definitione ſphęrę centro'que poli qui notius dicitur, quinque partibus ſumptis, circulus χειμερινὸς τροπικὸς inſtituitur, à nobis hyemalis, à nonnullis etiā brumalis appellatus ideò, quòd ſol cum ad eum circulum peruenit, hyemem efficit his, qui ad aquilonem ſpectant: æſtatem autem his, qui in auſtri partibus domicilia conſtituerunt. Quantò enim abeſt longius ab illis qui in aquilonis habitant finibus, hòc hyeme maiore conflictantur: æſtate autem hi quibus ſol appoſitus peruidet, itaq; Aethiopes ſub utroq; orbe neceſſario fiunt: Ab hoc circulo ad æquinoctialem circulum, reliquæ fiunt partes quatuor, ita uti ſol per octo partes ſphęrę currere uideatur. Zodiacus autem circulus ſic uel optimè definiri poterit, ut ſignis factis, ſicut poſtea dicemus, ex ordine circulus perducatur. Qui autem lacteus uocatur, contrarius æquinoctiali, ibi oportet ut eum medium

diuidere,& bis ad eum peruenire uideatur:semel in eo loco ubi aquila constituitur:iterum autem ad eius signi regionem, quòd περιών uocatur,duodecim signorum partes sic diuidũtur. Quinq; circuli,de quibus supra diximus, ita finiũtur, ut unusquisq; eorum diuidatur in partes duodecim,& ita ex eorum punctis lineæ perducantur, quæ circulos significent factos,in quibus duodecim signa describantur. Sed à nonnullis imperitioribus quæritur, quare non æquis partibus circuli finiãtur,hoc est, ut de triginta partibus quinæ partes diuidantur,& ut ita circuli pari ratione ducãtur:id facilime defendi posse confidimus. Cum enim media sphæra diuisa est, eius criculi nullus potest æqualis esse:qui quamuis proxime eum accedat, tamen minor esse uideatur. Itaq; qui primũ sphæram fecerunt,cum uellent omnium circulorum æquas rationes esse,pro rata parte uoluerũt significare,ut quantò magis à polo discederetur, hoc minorem numerũ partium sumerent in circulis metiendis, quò necesse erat his maiorem circulum definire. Quod etiã ex ipsa sphæra licet intelligere:quantò magis à polo discedes,hoc maiores circulos fieri: & hac re minorem numerum duci, ut pares eorum uideantur effectus. Et si non in triginta partes unumquodq; hemisphæriũ diuidatur,sed in alias quotlibet finitiones, tamẽ eò ratio peruenit eius,ac si triginta partes fecisset. Zodiacus circulus tribus his subiectus,de quibus supra diximus, ex quadam parte cõtingit æstiuum circulum & hyemalem, æquinoctialem autem medium diuidit. Itaq; sol per zodiacũ circulum currens,neq; extra eum transiens, necessario cum his signis, quibus innixus iter conficere uidetur, peruenit ad eos quos supra diximus orbes, & ita quatuor tempora definit. Nam ab ariete incipiens,uer ostendit:& taurũ & geminos transiens,idem significat. Sed iam capitibus geminorũ circulum æstiuum tangere uidetur,& per cancrum & leonem transiens & uirginem,æstatem efficit. Et rursum à uirginis extrema parte transire ad æquinoctialem circulum perspicitur. In libra autem æquinoctium conficit,& autumnum significare incipit, ab hoc signo transiens ad scorpium & sagittarium. Deinde protinus incurrit in hyemalem circulum,& à capricorno,aquario,piscibus,hyemem transigit. Itaque ostenditur non per tres ipsos circulos currere,sed zodiacum transiens ad eos peruenire. Sed quoniam de his rebus diximus, nunc terræ positionem definiemus,& mare quibus locis interfusum uideatur,ordine exponemus.

II. DE DEFINITIONE TERRAE ET MARIS.

TErra mundi media regione collocata, omnibus partibus æquali dissidens interuallo, centrū obtinet sphæræ. Hanc mediam diuidit axis in dimensione totius terrę: oceanus autem regione circunductionis sphæræ profusus, propè totius orbis alluit fines. Itaq; & signa occidentia in eum decidere existimantur. Sic igitur & terras contineri poterimus explanare. Nam quæcunque regio est quæ inter arcticum & æstiuum finem collocata est, ea diuiditur trifariam. E' quibus una pars Europa, altera Africa, tertia Asia uocatur. Europam igitur ab Africa diuidit mare ab extremis oceani finibus, & Herculis columnis. Asiā uero & Lybiam cum Aegypto disterminat, os Nili fluminis quod Canopicon appellatur. Asiam ab Europa Tanais diuidit, bifariam se coniiciens in paludem quæ Meotis appellatur. Hac igitur definitione facile peruidetur, mare omnibus obiectum finibus terrę. Sed ne uideatur nonnullis mirū, cum sphæra in LX. partes diuidatur, ut ante diximus, quare definimus ab æstiuo circulo ad arcticum finem duntaxat habitari: sic uel optime defendimus. Sol enim per mediam regionem sphæræ currens, nimiū his locis efficit feruorem. Itaq; quæ finis est ab æstiuo circulo ad hyemalem, ea terra à Græcis ἀξηροφιλὴς uocatur: quod neque fruges propter exustam terram nasci, neq; homines propter nimium ardorem durare possunt: extremæ autem regiones sphæræ duorum circulorū, quorum alter boreus, alter notius uocatur, fine arctici circuli & eius qui antarcticus uocatur, non habitantur ideo, quod sol ab his circulis semper est longe, uenti'que assiduos habent flatus. Quamuis enim sol perueniat ad æstiuum circulum, tamen longe ab arctico uidebitur fine: id ita esse, hinc quoq; licet intelligere. Cum enim sol peruenit ad eum circulum qui hyemalis uocatur, & efficiat nobis qui prope eum sumus constituti nimium frigus, quid arbitramur eis locis plus frigoris esse, quæ lōgius etiā absunt à nobis? Quod cū in hac parte sphæræ fiat, idem in altera parte definitum putabimus ideo, quod similes eius sunt effectus. Præterea hinc quoque intelligimus illic maximum frigus, & in æstiuo circulo calorem esse: quod quæ terra habitatur. Eos tamen uidemus qui proxime sunt arcticum finem, uti bracis & eiusmodi uestitu uestium: qui autem proximi sunt æstiuo circulo, eos Aethiopas & perusto corpore esse. Habitatur autem sic temperatissimo cœlo, cum inter æstiuū circulum & arcticum finem hæc perueniat temperatio: quod ab arctico circulo frigus, ab æstiuo fer-

uor exortus in unum concurrens, mediã efficit finẽ temperatam, quæ habitari possit. Itaq; cũ sol ab eo loco discessit, hyeme necessario cõflictamur, quod uentũ exorientem non reuerberat sol. Quod cum ueni at in hac definitione, illud quoq; fieri posse uidemus, ut hyemali circulo nobis ad antarcticum finem habitari possit: quod pares eodem pro ueniant casus. Certum quidem esse nemo cõtendit, neq; peruenire eò potest quisquam propter interiectum terrę, quę propter ardorem nõ habitatur. Sed cum uidemus hanc regionẽ sphærę habitari, illam quo que in simili causa posse constitui suspicamur.

III.

Ed quoniam quæ de terræ positione nobis dicenda fuerunt, & sphæram totam definiuimus: nunc quæ in ea signa sunt, sigillatim nominabimus. E quibus igitur primum duas arctos, & draconem: deinde arctophylaca cũ corona dicemus: Cereum, qui engonasin uocatur. Exinde lyram cum olore, & Cepheo, & eius uxore Cassiopeia, filia'que Andromeda, & genero Perseo. Dicemus etiam protinus aurigam, à Græcis ἡνίοχος apellatum: ophiuchum præterea cum sagitta & aquila, paruo'que delphine. Inde equum dicemus cum eo sidere quod deltoton uocatur. His corporibus enumeratis, ad duodecim signa perueniemus. Ea sunt hæc, Aries, taurus, gemini: deinde cancer cum leone & uirgine: præterea libra, dimidia pars scorpionis, & ipse scorpius cum sagittario & capricorno: aquarius uero cum piscibus reliquas habet partes. His connumeratis suo ordine est cetus cum Eridano flumine, & lepore. Deinde Orion cum cane, & eo signo quod πρωτὸν dicitur. Præterea est Argo cum centauro, & ara: deinde hydra cum pisce qui notius uocatur. Horum omnium non inutile uidetur historias proponere: quæ certè aut utilitatem ad scientiam, aut iocunditatem ad delectationem afferent lectori. Igitur, ut supradiximus, initium est nobis arctos maxima.

IIII. DE ARCTO MAIORE.

Anc autẽ Hesiodus ait esse Calisto nomine, Lycaonis filiam, eius qui in Arcadia regnauit: eamq; studio uenationis inductam, ad Dianam se applicuisse: à qua non mediocriter esse dilectam, propter utriusq; consimilem naturam. Postea autem ab Ioue compressam, ueritam Dianæ suum dicere euentum, quòd diutius celare non potuit: Nam iam utero ingraue

scente, prope diem partus in flu mine corpus exercitatione defessum cum recrearet, à Diana cognita est non obseruasse uirginitatem: cui dea pro magnitudine suspicionis non minorem retribuit pœnam Erepta enim facie uirginali, in ursæ speciem est conuersa, quæ Græc: ἄρκτος est appellata. In ea figura corporis Arcada procreauit. Sed ue ait Amphis comœdiarum scriptor, Iupiter simulatus effigiem Dianæ, cum uirginem uenantem ut adiutans persequeretur, amotam à conspectu cæterarum compressit: quæ rogata à Diana quid ei accidisset, quod tam grandi utero uideretur, id illius peccato euenisse dixit: Itaq; propter eius responsum in quam figuram supra diximus eā Diana conuertit. Quæ cum in sylua ut færa uagaretur, à quibusdam Aetolorum capta, ad Lycaonem pro munere in Arcadiam cum filio est deducta. Ibi dicitur inscia legis, in Iouis Lycæi templum se coniecisse: quam confestim est filius secutus. Itaque cum eos Arcades insecuti interficere conarentur, Iupiter memor peccati, ereptam Calisto cum filio inter sidera collocauit, eam'que arctum, filium autem arctophylaca nominauit, de quo posterius dicemus. Nonnulli etiam dixerunt, cum Calisto ab Ioue esset compressa, Iunonem indignatā iu ursam eam conuertisse: quam Dianæ uenanti obuiam factam, ab ea interfectam, & postea cognitam inter sidera locatam. Sed alii dicunt: Cum Caliston Iupiter esset in syluam persecutus, Iunonem suspicatam id quod euenit, contendisse ut eum manifesto diceret deprehendisse. Iouem autem quò facilius suum peccatum tegeretur, in ursæ speciem conuersam reliquisse: Iunonem autem in eo loco pro uirgine ursam inuenisse, quam Dianæ uenanti, ut eam interficeret, demonstrasse: quod factum ut perspiceretur Iouem ægre tulisse, effigiem ursæ stellis figuratam constituisse. Hoc signū ut complures dixerunt non occidit: & qui uolunt aliqua de causa esse institutum, negāt Tethym oceani uxorē id recipere, cum reliqua sidera eo perueniant in occasum: quod Tethys Iunonis sit nutrix, cui Calisto succubuerit ut pellex. Ariethus autē Tegeates historiarum scriptor, non Calisto sed Megisto dicit appellatam: & non Lycaonis, sed Cetei filiam, Lycaonis neptem. Præterea Cetea ipsum engonasim nominari. Reliqua autem superioribus conueniunt: Quę res in Nonacri monte Arcadię gesta demonstratur.

DE ARCTO MINORE.

Rctos minor. Hanc Aglaosthenes qui Naxica conscripsit, ait Cynosuram unam esse ex Iouis nutricibus ex Idæis nymphis: ab eius quoq; nomine & urbem quæ Hesticça uocatur, à Nicostrato & sodalibus eius constitutã, & portum qui ibi est, & agri maiorem partem Cynosuram appellatã. Hanc autem inter Cureras fuisse, qui Iouis fuerunt administri. Nonnulli Helicen & Cynosuram nymphas Iouis esse nutrices dicunt: & hac re etiam pro beneficio in mundo collocatas, & utrasque arctos appellatas esse, quas nostri septẽtriones dixerunt: Sed maiorem arcton complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græci appellauerunt. Cuius hęc memorię prodita est causa. In initio qui sidera peruiderũt, & numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non arctum sed plaustrum nominauerunt. Ex septẽ stellis, duæ quæ pariles & maxime in uno loco uiderentur, pro bobus haberentur: reliquæ autem quinq; figuram plaustri similarent. Itaque & quod proximum huic est signum, Bootem nominari uoluerunt, de quo posterius plura dicemus. Aratus quidem nõ hac re Bootem, nec illud plaustrum dicit appellari, sed quod arctos uideatur ut plaustrũ circa polum, qui boreus appellatur, uersari: & Bootes agitare eam dicatur. In quo non mediocriter uidetur errare. Postea autem de septem stellis, ut Parmeniscus ait, quinq; & uiginti sunt à quibusdam astrologis constituræ, ut ursæ species, non septem stellis perficeretur. Itaque & ille qui antea plaustrum sequens Bootes appellabatur, Arctophylax est dictus, & iisdem temporibus quibus Homerus fuit, hæc Arctos est dicta: de septẽtrionibus enim ille dicit, hanc utroq; nomine, & arcton & plaustrum nominari: Bootis autem nusquàm meminit, arctophylaca nominari. Incidit etiam compluribus erratio, quibus de causis minor arctos Phœnice appelletur: & illi qui hanc obseruant, uerius & diligentius nauigare dicantur: & quare si hęc sit certior quàm maior, nõ omnes hanc obseruẽt: qui non intelligere uidentur de quali historia sit profecta ratio, ut Phœnice appelletur. Thales enim Milesius qui diligenter de his rebus inquisiuit, & hãc primus arcton appellauit, natione fuit Phœnix, ut Herodotus Milesius dicit. Igitur omnes qui Peloponnessum incolunt, priore utũtur arcto. Phœnices autem quam à suo inuentore acceperunt, obseruant: & hanc studiosius perspiciendo, diligentius nauigare existimantur, & uere eam ab inuentoris genere Phœnicen appellant.

DE SERPENTE.

Erpens. Hic uasto corpore ostenditur inter duas arctos collocatus: qui dicitur aurea mala Hesperidum custodisse, & ab Hercule interfectus, ab Iunone inter sidera collocatus: quòd illius opera Hercules ad eum est profectus, qui hortum Iunonis tueri solitus existimatur. Ait enim Pherecydes Iunonem cum duceret Iupiter uxorem, Terram ueniisse ferentem aurea mala cum ramis: quæ Iunonem admiratam, petiisse à Terra, ut in suis sereret hortis, qui erant usq; ad Atlantem montem. Cuius filiæ cum sæpius de arboribus mala decerperẽt, Iuno dicitur hunc ibi custodem posuisse: hoc etiam signi erit, quòd in sideribus supra eum draconem Herculis simulacrum ostenditur, ut Eratosthenes demonstrat: quare quod uos licet intelligere, hunc maxime draconem dici à gigantibus Mineruæ obiectum esse, cum eos oppugnaret: Mineruam autem arreptum draconem contortum ad sidera iecisse, & ad ipsum axem cœli fixisse: Itaq; eum adhuc implicato corpore uideri, ut nuper ad sidera perlatum.

DE ARCTOPHYLACE.

Arctophylax. De hoc fertur quòd sit Arcas nomine, Calistus & Iouis filius, quem dicitur Lycaon, cũ Iupiter ad eũ in hospitiũ ueniisset, cũ alia carne concisum pro epulis apposuisse. Studebat enim scire, si deus esset q̃ suũ hospitiũ desideraret. Quo facto nõ minore pœna est affectus. Nam statim Iupiter mensa proiecta, domũ eius fulmine incendit: ipsum aũt in lupi figurã cõuertit: at pueri mẽbra collecta & cõposita in unũ, dedit cuidam Aetolorũ alendum, qui adolescens factus, in syluis cum uenaret, matrẽ inscius uidit in ursæ speciẽ conuersam, quã interficere cogitans persecutus est in Iouis Lycæi templũ: quo & qui accessisset, mors pœna erat Arcadica lege. Itaq; cum utrunq; esset necesse interfici, Iupiter eorum misertus, ereptos inter sidera collocauit, ut ante diximus. Hic autem è facto, sequens ursam perspicitur, & arctũ seruãs, arctophylax est appellatus. Nonnulli hunc Icariũ Erigones patrem dixerunt, cui propter iustitiã & pietatẽ existimat Liber pater uitẽ & uinũ & uuã tradidisse, ut ostẽderet hominibus quomodo sereret & qd ex ea nasceret: & cum esset natũ, id quomodo uti oporteret. Qui cum seuisset uitẽ, & diligentissime administrando floridam falce fecisset, dicitur hircus in

uinea se coniecisse,& quæ ibi tenerrima folia uideret,decerpsisse: quo facto,Icarium irato animo tulisse,eumque interfecisse,& ex pelle eius utrem fecisse,ac uento plenum præligasse,& in medium proiecisse,suosq; sodales circa eum saltare coëgisse. Itaque Eratosthenes ait: αἰκαρίου γὰρ πρῶτον τὸν οἶνον ἐρεύσασθαι. Alii dicunt Icarium cum à Libero patre uinum accepisset,statim utres plenos in plaustrum posuisse: hac re etiã Bootem appellatum: qui cum perambulans Atticorum fines pastoribus ostenderet,nonnulli eorum auiditate pleni, nouo genere potus inducti somno consopiuntur: atque ut alius aliam se in partem reiiciunt,ut semimortua membra iactantes,alia ac decebat loquebantur, reliqui eorum arbitrati uenenum ab Icario datum pastoribus, ut eorum pecora abigeret in suos fines,Icarium interfectum in puteum deiecerunt:sed ut alii demonstrant,secundum arborem quandam defoderunt. Qui autem dormierant experrecti, cum se nunquam melius quiesse faterentur,ac requirerent Icarium, ut pro beneficio munerarentur,interfectores eius animi conscientia permoti, statim se fugæ mandauerunt,& in insulam Aetolorum peruenerunt:à quibus ut hospites recepti,domicilia sibi constituerunt. At Erigone Icarii filia pertæsa desiderio parentis,cum non redire uideret,ac persequi conaretur, canis Icarii,cui Mæra fuerat nomen,ululans ut uideretur obitum domini lachrymari, rediit ad Erigonen, cui non minimam cogitatæ mortis suspicionẽ ostendit: neq; enim puella timida suspicari debebat nisi patrem interfectum, qui tot dies ac menses abesset: At canis uestem eius tenens dentibus,perduxit ad cadauer:quod filia simul ac uidit,desperata spe, solitudine ac pauperie oppressa, multis miserata lachrymis,in eadem arbore qua parẽs sepultus uidebatur,suspẽdio sibi mortem consciuit:cui canis mortuæ suo spiritu parẽtauit: nonnulli enim hunc in puteum se deiecisse dixerunt Ambigrum nomine: quare postea neminem ex eo puteo bibisse,memoriæ tradiderunt. Quorum casum Iupiter miseratus,in astris eorũ corpora deformauit. Itaque complures Icarium,Bootem:Erigonen,Virginem nominauerunt,de qua posterius dicemus:canem autem sua appellatiõe & specie caniculam dixerunt:quæ à Græcis, quod ante maiorem canem exoritur, προκύων appellatur. Alii hos à Libero patre figuratos inter sidera dicunt. Interim cum in finibus Athenienſium multæ uirgines sine causa suspendio sibi mortem consciscerent,quod Erigone moriens erat precata,ut eodem fato filiæ Athenienſium afficerentur quo ipsa foret erepta,

nisi Icarii mortẽ persecuti,& ei m fuerint ulti. Itaq; cum id euenisset, ut ante diximus,pœnitentibus eis Apollo dedit responsum:Si uellent euentu liberari,satisfacerent Erigonæ. Qui quòd ea se suspenderat,in stituerunt:uti tabula interposita pendente,funibus se iactarẽt, ut qui pendẽtes uento mouerẽtur:quod sacrificiũ solenne instituerũt. Itaq; & priuatim & publicè faciunt,& id aletidas appellant:quod eam patrẽ persequentem cum cane,ut ignotam & solitariam oportebat,mendicam appellabant, quas Græci ἀλήτιδας nominant. Præterea canicula exoriens,æstu eorum loca & agros fructibus orbabat:& ipsos morbo affectos,pœnas Icario cum dolore sufferre cogebat,quòd latrones recepissent. Quorum rex Aristeus Apollinis & Cyrenes filius, Actæonis pater,petiit à parente,quo facto calamitate ciuitatem posset liberare: quem deus iubet multis hostiis expiari Icarii mortem,& ab Ioue petere,ut quo tempore canicula exoriretur, dies quadraginta uentum daret,qui æstum caniculæ mederetur. Quod iussum Aristeus confecit, & ab Ioue impetrauit ut Etesiæ flarent: quas nonnulli Etesias dixerũt; quod quotannis certo tempore exoriuntur: ἔτος enim Græce, annus est Latine. Nonnulli etiam Aetesias appellauerunt,quod expostulatæ sint ab Ioue, & ita concessæ. Sed hoc in medio relinquatur, ne nos omnia præripuisse existimemur. Sed ut ad propositum reuertamur: Hermippus qui de sideribus scripsit,ait Cererem cum Iasione Thulci filio cõcubuisse: quamobrem fulmine percussum complures cũ Homero dixerunt. Ex his,ut Petellides Gnosius historiarum scriptor demonstrat,nascuntur filii duo, Philomelus & Plutus:quos negant inter se conueniisse: nam Plutum qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse:Philomelum autem necessario adductum,quodcunq; habuerit,ex eo boues duos emisse,& ipsum primum plaustrum fabricatum esse:itaq; arando & colendo agros,ex eo se aluisse: cuius marrẽ inuẽta miratam,ut arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem nominasse. Ex hoc autẽ Pareanta demonstrat natum, qui de suo nomine Parios,& oppidum Paron appellauit.

DE CORONA.

Corona Hæc existimatur Ariadnes fuisse, à Libero patrẽ inter sidera collocata. Dicitur enim in insula Dia cũ Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri à Venere & Horis accepisse, cum omnes dii in eius nuptiis dona conferrent. Sed(ut ait qui Cretica conscripsit) quo tempore Li-

ber ad Minoa uenit, cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei muneri dedit: qua delectata, non recusauit conditionem stupri. Dicitur etiam à Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur de tenebris labyrinthi ad lucem uenisse: quòd aurū & gemmæ in obscuro fulgorē luminis efficiebant. Qui autem Argolica conscripserunt, hanc afferunt causam: Quòd Liber cū impetrasset à parente ut Semelem matrem ab inferis reduceret, & quærens ad eos descensionem, ad Argiuorum fines peruenisset, obuiam ei quendam factum nomine Hypolipnum, hominem dignum eius seculi, qui petenti Libero descensionem monstraret: Hunc autem cum uidisset Hipolipnus puerum ætate miranda, corporis pulchritudine reliquis præstantem, mercedem petisse ab eo, quæ sine detrimento eius daretur. Liberum autem matris cupidum, si eam reduxisset, iurasse, quod uellet, se facturum: ita tamen, quòd deus homini nō pudenti iuraret: pro quo Hypolipnus descensum monstrauit. Igitur cum Liber ad eum locum uenisset & uellet descendere, coronam quam à Venere muneri acceperat, deposuit in eo loco, qui [illegible] è facto est appellatus: noluit enim secum ferre, ne immortale donum mortuorū tactu coinquinaretur. Qui cum matrem incolumem reduxisset, coronam dicitur inter astra collocasse, ut æterna memoria nominis efficeretur. Alii dicūt hanc coronam Thesei esse, & hac re propter eum collocatū. Nā qui in astris dicitur Engonasin, is Theseus esse existimat, de quo postea plura dicemus. Dicitur enim, cum Theseus Cretam ad Minoa cum septē uirginibus & sex pueris uenisset, Minoa de uirginibus Eriboeam quandam nomine, candore corporis inductum, comprimere uoluisse: quod cum Theseus se passurum negaret, ut qui Neptuni filius esset, & ualeret contra tyrannum pro uirginis incolumitate decertare. Itaque cum iam non de puella, sed de genere Thesei controuersia facta esset, utrum is Neptuni filius esset nec ne: dicitur Minos aureū anulum de digito sibi detraxisse, & in mare proiecisse: quem referre iubet Theseum, si uellet se credi Neptuni filiū esse: se enim ex Ioue procreatum facile posse declarare. Itaq; comprecatus patrē petiit aliquid signi, ut satisfaceret se ex eo natum: statimq; tonitru & fulgure cœli, indicium significationis fecisse. Simili de causa Theseus sine ulla precatione aut religione parētis, in mare se proiecit: quem confestim delphinū magna multitudo mari prouoluta, lenissimis fluctibus ad Nereidas perduxit: à quibus anulum Minois, & à Theride coronā, quam

nuptiis à Venere muneri acceperat retulit, cõpluribus lucẽtem gemmis. Alii autem à Neptuni uxore accepisse dicunt. Coronam Ariadnæ Thoseus dono dicitur dedisse, cum ei propter uirtutẽ & animi magnitudinem uxor esset concessa: hanc autem post Ariadnes mortem Liberum inter sidera collocasse.

DE ENGONASIN.

ENgonasin. Hunc Eratosthenes Herculem dicit, supra draconem collocatum, de quo antè diximus, eumq; paratum ad decertandum: sinistra manu pellem leonis, dextra clauam tenentem: Conatur interficere draconẽ Hesperidum custodem, qui nunquàm oculos operuisse somno coactus existimatur, quo magis custos appositus esse demonstratur. De hoc etiã Panyasis in Heraclea dicit. Horũ igitur pugnã Iupiter admiratus, inter astra cõstituit. Habet enim draco caput erectum: Hercules autem dextro genu nixus, sinistro pede capitis eius dextram partẽ opprimere conatur: dextra manu sublata ut feriẽs, sinistra proiecta cum pelle leonis: ut cum maxime dimicans appareat: & si sit, qui negat hic quicq̃ (ut Aratus) posse demonstrari: tamẽ cõnabimur, ut aliquid uerisimile dicamus. Arethus autẽ, ut supra diximus, hunc Cerea Lycaonis filium, Megistus patrem dicit: qui uidetur ut lamentantem filiam in ursę figuram conuersam, genu nixum palmas diuersas tendere ad cœlum, ut eam sibi dii restituant. Hegesianax autẽ Thesea dixit esse, qui Trœzene saxũ extollere uidetur: quòd existimatur Aegeus sub eo saxo Elopium ensem posuisse, & Aethræ Thesei matri prædixisse, ne antè eum Athenas mitteret, quàm sua uirtute lapide sublato, potuisset gladiũ patri referre. Itaq; niti uidetur, ut q̃ altissime posit lapidẽ extollat. Hac etiam de causa nonnulli lyram, quæ proxima ei signo est collocata, Thesei esse dixerunt: quod ut eruditus omniũ artium, lyram quoq; didicisse uidebatur. Idq; & Anacreon dicit: ἀρχῶ ὀρθίας τε λύρης. Alii autem Thamyrim à musis excæcatum, ut supplicẽ ad genua iacentẽ dicũt. Alii Orphea à Thraciis mulieribus interfici, quod uiderit Liberi patris initia. Aeschylus autem in fabula quę inscribitur Προμηθεὺς λυόμενος, Herculem ait esse, non cum dracone, sed cum Liguribus depugnantem: Dicit enim, quo tempore Hercules à Geryone boues abduxerit, iter fecisse per Ligurũ fines: quos conatos ab eo abducere pecus, manus contulisse, & cõplures eorũ sagittis cõfixisse. Sed post q̃ Herculi tela deficerent, multitudine barbarorũ & inopia armorũ de-

festum, se ingeniculasse, multis iam uulneribus acceptis: Iouē autē mi
serrū filii, curasse ut circa eū magna lapidū copia esset: quibus se Her-
culē defendisse, & hostes fugasse. Itaq; Iouē similitudine pugnātis in-
ter sidera constituisse. Hunc etiam nōnulli Ixiona brachiis uinctis es-
se dixerūt: quòd uim Iunoni uoluerit afferre. Alii Promethea in mon
te Caucaso uinctum.

DE LYRA.

Lyra autē inter astra constituta est, hac (uti Eratosthenes
ait) de causa: Quòd initio à Mercurio facta de testudine,
Orpheo est tradita: qui Calliopes & Oeagri filio, fuit eius
rei maxime studiosus. Itaque existimatur suo artificio fe-
ras etiam ad se audiēdi causa allicuisse: qui quærens uxoris Eurydices
mortē, ad inferos descendisse existimatur, & ibi deorum progeniē suo
carmine laudasse, præter Liberum patrē: hūc enim obliuione ductus
prætermisit, ut Oeneus in sacrificio Dianam. Postea igitur Orpheus
ut complures dixerunt, in Olympo monte, qui Macedoniā diuidit à
Thracia: sed ut Eratosthenes ait, in Pangæo sedens, cum cantu delec-
taretur, dicitur Liber ei obiecisse Bacchas, quæ corpus eius discerperent
interfecti. Sed alii dicunt, quod initia Liberi sit speculatus, id ei acci-
disse: musas autē collecta membra sepulturæ mandasse, & lyram quo
maxime potuerant beneficio, illius memoriæ causa figuratam stellis
inter sidera constituisse Apollinis & Iouis uoluntate: quod Orpheus
Apollinē maxime laudaret, Iupiter autem filio beneficium cōcessit.
Alii autem dicunt Mercurium, cum primum lyram fecisset, in Cyl-
lene monte Arcadiæ, septem chordas instituisse ex Atlantidum nu-
mero: quod Maia una ex illarum numero esset, quę Mercurii est ma
ter. Deinde postea cum Apollinis boues abegisset, deprehensus est ab
eo: quo sibi facilius ignosceret, petenti Apollini ut dicere liceret se in-
uenisse lyram, concessit, & ab eo uirgulam quandam muneri accepit
quā manu tenens Mercurius, cū proficisceretur in Arcadiā, & uidisset
duos dracones inter se cōiuncto corpore aliū alii appetere, ut qui di-
micare inter se uiderentur, uirgulā inter utrūq; proiecit, itaq; discesse
runt: quo facto eā uirgulā pacis causa dixit esse constitutā. Nonnulli
etiā cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos uirgula faciunt:
quòd initiū Mercurio fuerat pacis. Eius exemplo & athletæ, & in reli-
quis eiusmodi certationibus uirgula utunt. Sed ut ad propositū reuerta
mur, Apollo lyra accepta dicit Orphea docuisse: & postq̄ ipse citharā

inuenerit,illi lyram concesisse. Nonnulli etiam dixerunt, Venerem cum Proserpina ad iudicium Iouis uenisse, cui earum Adonin concederet: quibus Calliopen à Ioue datam iudicem, quæ musa Orphei est mater. Itaq; iudicasse, uti dimidiam partem anni earũ unaquæq; possideret. Venerẽ autem indignatam, quòd non sibi proprium concessisset, obiecisse omnibus quæ in Thracia essẽt mulieribus, ut Orphea amore inductæ, ita sibi quæque appeteret, ut mẽbra eius discerperent: cuius caput in mare de mõte perlatum, fluctibus in insulã Lesbon est reiectum: quod ab his sublatum & sepulturæ est mandatum: pro quo beneficio ad musicam artem ingeniosissimi existimãtur esse. Lyra autem à musis (ut antè diximus) inter astra constituta est. Nonnulli aũt quòd cum Orpheus primus puerilem amorem induxerit, mulieribus usum contumeliam feciſse, ab his hac re interfectum.

DE OLORE.

Lor. Hunc Græci cygnum appellant, quem complures propter ignotam illis historiam, communi genere aũ[illegible] appellauerunt: de quo hæc memoriæ prodita est causa: Iupiter cum amore inductus, Nemesin diligere cœpisset, neq; ab ea ut secum concumberet impetrare potuisset, hac cogitatione amore est liberatus: Iubet enim Venerem aquilę simũ[illegible] se sequi, seseque ipse in olorem conuertit, & ut aquilam fugiens ad Nemesin confugit, & in eius gremio se collocauit: quem Nemesis non aspernata, amplexum tenẽs, somno est consopita: quam dormientem Iupiter compressit, ipse autem auolauit: & quòd ab hominibus alte uolãs cœlo uidebatur, inter sidera dictus est esse cõstiturus: quod ne falsum diceretur, Iupiter è facto eum uolantem, & aquilam cõsequentem, collocauit in mundo. Nemesis autem, ut quæ auium generi esset inimica, mensibus actis, ouum procreauit: quod Mercurius auferens detulit Spartam, & Ledæ sedenti in gremiũ proiecit, ex quo nascitur Helena, cæteris corporis specie præstans, quam Leda suam filiam nominauit. Alii autem cum Leda Iouem concubuisse in olorem conuersum, dixerunt: de quo in medio relinquemus.

DE CEPHEO.

Epheus. Hũc Euripides cum cæteris, Phœnicis filiũ, Aethiopum regem esse demõstrauit Andromedæ patrem, quam certo propositã notissimæ historiæ dixerunt: hanc aũt Perseum à periculo liberatam, uxorem duxisse. Itaq;

ut totum genus corũ perpetuo maneret, ipsum quoque Cephea inter sidera superiores numerasse.

DE CASSIOPEIA.

Assiopeia. De hac Euripides & Sophocles & alii complures dixerũt, ut gloriata sit se forma Nereidas præstare: pro quo facto inter sidera sedens in siliquastro constituta est: quæ propter impietatẽ uertente se mundo resupinato capite ferri uidetur.

DE ANDROMEDA.

Ndromeda. Hæc dicit Mineruæ beneficio inter astra collocata, propter Persei uirtutem, quòd eam cero propositã à periculo liberaret: nec enim ab ea minorem animi beneuolẽtiam pro beneficio accepit. Nã neq; pater Cepheus, neque Cassiopeia mater ab ea potuerunt impetrare, quin parentes & patriam relinquens Persea sequeretur. Sed de hac Euripides hoc eodẽ nomine fabulam commodissime scribit.

DE PERSEO.

Erseus. Hic nobilitatis causa, & quòd inusitato genere cõcubitiõis esset natus, ad sidera dicitur peruenisse: qui missus à Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas, à Mercurio qui eum dilexisse existimatur, talaria & petasum accepit: præterea & galeam, qua indutus ex aduerso non poterat uideri. Itaque Græci ἀϊδα galeam dixerunt esse: non ut quidam inscientissime interpretantur, eum Orci galea usum: quæ res nemini docto potest probari. Fertur etiam à Vulcano falcem accepisse ex adamante factam, qua Medusam Gorgonem interfecit: quod factum nemo cõscripsit. Sed ut ait Aeschylus Tragœdiarum scriptor in Phorcys, Grææ fuerunt Gorgonum custodes: de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus: quæ utræque uno oculo usæ existimantur, & ita suo quæq; tẽpore accepto oculo uigilias egisse. Hunc Perseus una earum tradente, exceptum in paludem Tritonida proiecit. Itaq; custodibus excæcatis, facile Gorgonam somno consopitam interfecit: cuius caput Minerua in pectore dicitur habere collocatum. Euhemerus quidem Gorgonam à Minerua dicit interfectam: de quo alio tempore plura dicemus.

DE HENIOCHO.

Eniochus. Hunc nos aurigam Latine dicimus, nomine Erichthonium, ut Eratosthenes monstrat: quem Iupiter cum uidisset primum inter homines equos quadrigis iunxisse, admiratus est ingenium hominis, ad Solis inuenta accessisse: quod is princeps quadrigis inter deos est usus: sed Erichthonius & quadrigas, ut ante diximus, & sacrificia Mineruæ & templum in arce Athenienſium primus instituit: de cuius progenie Euripides ita dicit: Vulcanum Mineruæ pulchritudine corporis inductum, petiisse ab ea ut sibi nuberet, neq; impetrasse: & cœpisse Mineruam sese occultare in eodem loco, qui propter Vulcani amorem Hephestius est appellatus: quo persecutus Vulcanum, ferunt cœpisse ei uim afferre: & cum plenus cupiditatis ad eam ut complexui se applicaret repulsus, effudit in terram uoluptatem. Quo Minerua permota pudore, pede pulueré iniecit. Ex hoc autem nascitur Erichthonius anguis, qui ex terra & eorum dissensione nomen possidet. Eum dicitur Minerua in cistula quadam ut mysteria contectum, ad Erechthei filias detulisse, & his dedisse seruandũ: quibus interdixit, ne cistulam aperirent. Sed ut hominum est natura cupida, ut eò magis appetant quò interdicatur: sæpius uirgines cistulam aperuerunt & anguem uiderunt: quo facto insania à Minerua iniecta, de arce Athenienſium se præcipitauerunt: anguis autem ad Mineruæ clypeum confugit, & ab ea est educatus. Alii autem aguinea tantum crura habuisse Erichthonium dixerunt, eumq; primo tempore adolescentiæ ludos Mineruæ Panathenæa fecisse, & ipsis quadrigis concurrisse, pro quibus factis inter sidera dicitur collocatus. Nonnulli etiam qui de sideribus scripserunt, hunc natione Argeum, Orsilochum nomine, primum quadrigarum inuentorem esse dixerunt, & pro inuentione siderum locum possedisse. Alii autem hunc Mercurii filium ex Elicia natum nomine Myrtilum, Oenomai aurigam definierunt, cuius post notam omnibus mortem apparens corpus in mundo cõstituisse existimatur. Huius in humero siniſtro capra instare & in manu siniſtra hœdi uidentur formati: De quibus nonnulli ita dicunt: Olenum quendam fuisse nomine Vulcani filium: Ex hoc duas nymphas Aega & Helicen natas, quæ Iouis fuerunt nutrices. Alii autem etiam ab his urbes quasdam appellari dixerunt, & Olenon in Aulide, Helicen autem in Peloponnesso, & Aegam in Aemonia ibi nominari: de quibus Homerus in Iliados secundo dicit. Parmeniscus autem ait Melisea quendã

fuisse Cretæ regem: ad eius filias Iouem nutriendum esse delatum: quæ quod lac non habuerint, capram ei admisisse, Amaltheam nomine, quæ eum dicitur educasse. Hanc autem geminos hœdos solitam esse procreare, & ferè eo tempore peperisse, quo Iupiter nutriẽdus est allatus. Itaq; propter beneficium matris & hœdos quoq; dicitur inter sidera collocasse. Hos autem hœdos Cleostratus Tenedius dicitur primus inter sidera ostendisse. Mnaseus autem dicit Iouem nutritum à Themide & Amalthea nympha, quibus cũ mater Ops tradidisse existimatur: Amaltheam autem habuisse capram quãdam ut in deliciis, quæ Iouem dicitur aluisse. Nonnulli etiam Aegam filiam Solis dixerunt, multis candore corporis præstantem, cui contrarius pulchritudini horribilis aspectus existebat: quo Titanes perterriti petierunt à Terra ut eius corpus obscuraret: quam Terra specu quodã celasse dicitur in insula Creta: quę postea Iouis fuisse nutrix, ut ante ostẽdimus, demonstratur. Sed cum Iupiter fidens adolescẽtia, bellũ contra Titanas appararet: responsum est ei, si uincere uellet, ut ἀιγὶ pelle tectus & capite Gorgonis, bellum administraret, quam Aegida Græci appellauerunt. Itaq; facto eo quod supra declarauimus, Iupiter Titanas superans regnum est adeptus, & reliqua ossa ægos caprina pelle contecta, anima donauit, & stellis figuratam memoriæ commendauit: & postea quibus ipse uicerat tectus, Mineruæ cõcessit. Euhemerus ait Aegam quandam, fuisse Panos uxorẽ: eam à Ioue compressam peperisse: quem uiri sui Panos diceret filium. Itaq; puerum Aegipana, Iouem uero Aegiochum dictum: qui, quòd eum diligebat plurimũ, inter astra capræ figura, memoriæ causa collocauit.

DE OPHIVCHO.

Phiuchus, qui apud nostros scriptores anguitenens dictus est, supra scorpionẽ constitutus, tenens manibus anguem mediũ corpus eius implicantẽ. Hũc cõplures Carnabonta dixerũt nomine, Getharum regem, qui sunt in Mysia regione, fuisse: qui eodem tempore rerum est potitus, quo primum semina frugum mortalibus tradita esse existimantur. Ceres enim cũ sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cuius ipsa fuerat nutrix, in curru dracronum collocatum (qui primus hominum una rota dicitur usus, ne cursu moraretur) iussit omnium nationum agros circũeuntem semina partiri: quò facilius ipsi posteriq; eorum à fero uictu segregarentur. Qui cum peruenisset ad eum, quem supra

diximus, Getharum regem, ab eo primum hospitaliter acceptus: deinde non ut beneficus aduena & innocens, sed ut crudelissimus hostis insidiis captus, aliorum paratus producere, suam penè perdidit uitã. Carnabontis enim iussu cum draco unus eorum esset interfectus, ne cũ Triptolemus sensisset insidias sibi parari, curru sibi pręsidiũ constituere speraret: Ceres eo uenisse, & erepto adolescenti currũ, dracone altero subiecto, reddidisse: regẽ pro cœpto maleficio pœna nõ medio cri affecisse. Hegesianax enim dicit, Cererem memoriæ hominũ causa ita Carnabonta sideribus figurasse, manibus tenentem draconem, ut interficere existimetur: qui ita uixerat acerbe, ut iocũdissimam sibi conscisceret mortem. Alii autem Herculem esse demonstrant, *in Lydia apud flumen Sagarim* anguem interficientẽ: qui & homines complures interficiebat, & ripam frugibus orbabat. Pro quo facto ab Omphala regina quæ ibi regnabat, multis ornatum muneribus Argos remissum: ab Ioue autem propter fortitudinem inter sidera collocatũ. Nonnulli etiam Triopam Thessalorũ regem dixerunt esse: qui cum suum domicilium tegere conaretur, Cereris ab antiquis collocatum diruit templũ. Pro quo facto à Cerere fame obiecta, nũquam postea frugibus ullis saturari potuisse existimatur. Nouissime propè ad tenuitatem uitæ dracone obiecto mala plurima perpessus, aliquando mortem adeptus, inter astra Cereris uoluntate est constitutus. Itaq; adhuc uidetur eum draco circunplexus æterna mœrentem afficere pœna. Polyzelus autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuisse demonstratur. Nam *cum* eorũ in insulam serpentium multitudine occupatam, ciues Ophiusam appellassent, & in ea multitudine ferarum draco fuisset ingenti magnitudine, qui plurimos eorũ interfecisset, & patria deniq; deserta carere coẽgisset, dicitur Phorbas Triopę filius ex Hiscilla Myrmidonis filia natus, eò tempestate delatus, omnes feras & eum draconem interfecisse: qui cum maxime Apollini dilectus esset, locatus in cœlo interficiens draconem, laudis & memoriæ causa uideretur. Itaq; Rhodii quotiescunque longius à litore prodeunt classes, prius sacrificant Phorbantis aduentui, ut talis euentus inopinatæ uirtutis accidat ciuibus, qualis insciũ Phorbanta futuræ laudis ad sidera gloriæ pertulit casus. Complures etiam astrologi hunc Aesculapium finxerunt, quem Iupiter Apollinis causa inter astra collocauit. Aesculapius enim cum esset inter homines, & tantum medicina cæteris pręstaret, ut non satis

ei uideretur hominum dolores leuare, nisi etiam mortuos reuocaret ad uitam, nouissime fertur Hippolytum, qui iniquitate nouercæ & insscitia parentis erat interfectus, sanasse, ita ut Eratosthenes dicit. Nõnulli Glaucum Minois filium eius opera reuixisse dixerũt: pro quo ut peccato, Iouem domum eius fulmine incendisse: ipsum autem propter artificium & Apollinem eius patrem inter sidera anguem tenentem constituisse: Vt quidam dixerunt, hac de causa anguem tenere dicitur: quòd cum Glaucũ cogeretur sanare conclusus quodam loco secreto, bacillũ tenens manu, cum quid ageret, cogitaret dicitur anguis ad bacillum eius arrepsisse: quem Aesculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eodẽ ueniisse, ore ferens herbam, & in caput eius imposuisse: quo facto, utrosq; loco fugisse: qua re Aesculapium usum, & eadem herba Glaucum reuixisse. Itaq; anguis & in Aesculapii tutelam, & in astris dicitur collocatus: qua consuetudine ducti posteri eius tradiderũt reliquis, ut medici anguibus uterentur.

DE SAGITTA.



Sagitta. Hanc unam de Herculis telis esse demonstrant, qua aquilam dicitur interfeciisse, quæ Promethei iocinora fertur exediisse: de quo pluribus uerbis dicere non inutile uidetur. Antiqui cum maxima cerimonia deorum immortaliũ sacrificia administrarẽt, soliti sunt totas hostias in sacrorum cõsumere flamma. Itaq; cum propter sumptus magnitudinem sacrificia pauperibus non obtingerẽt, Prometheus qui propter excellentiam ingenii miram, homines finxisse existimatur, recusatione dicitur ab Ioue impetrasse, ut partem hostiæ in ignem coniicerent, partem in suo cõsumerent uictu: idq; postea cõsuetudo firmauit. Quod cũ facile à deo, nõ ut ab auaro homine impetrasset, ipse Prometheus immolat tauros duos, quorum primum iocinora cum in ara posuisset, reliquam carnem ex utroq; tauro in unum compositam corio bubulo texit: ossa aũt quæ circa reliqua fuerunt, pelle contecta in medio collocauit, & Ioui fecit potestatem, ut quam uellet eorũ sumeret partem. Iupiter autem & si non pro diuina fecit cogitatione neq; ut deum licebat, omnia quæ debuit antè prouidere: sed (quoniam credere instituimus historiis) deceptus à Prometheo, utrunq; putans esse taurum, delegit ossa pro sua dimidia parte. Itaq; postea in solennibus & religiosis sacrificiis carne hostiarum cõsumpta, reliquias quæ pars fuit de-

orum,eodem igni comburunt.Sed ut ad propositum reuertamur:Iupiter cum factum rescisset,animo permoto mortalibus eripuit ignē. Prometheus autem consuetus insidiari,sua opera ereptum mortalibus ignem restituere cogitabat.Itaq; cæteris remotis deuenit ad Iouis ignem:quo diminuto & in ferulam coniecto, lætus ut uolare non curare uideretur,ferulam iactans,ne spiritus intercluſus uaporis extingueret in angustia lumen. Itaq; homines adhuc plerunq; qui lætitiæ nuntii fiunt,celerrime ueniunt. Præterea in certatione ludorum cursoribus instituerunt ex Promethei cōsuetudine,ut currerent lampadem iactantes.Pro quo Iupiter facto mortalibus parem gratiam referens,mulierem tradidit his, quam à Vulcano factam deorū uoluntate omni munere donauit,itaq; Pandora est appellata:Prometheū autem in mōte Scythiæ nomine Caucaso ferrea catena uinxit:quem alligatum ad triginta milia annorum Aeschylus tragœdiarum scriptor ait. Præterea admisit ei aquilam,quæ assidue noctu renascētia iocinora exesset. Hanc autem aquilam nonnulli ex Typhone & Echidna natā:alii ex Terra & Tartaro:cōplures Vulcani factam manibus demōstrant,animamq; ei ab Ioue traditam dicūt. Sed de eius solutione hęc memoriæ prodita est causa: Cum Iupiter Thetidis connubium pulchritudine corporis inductus peteret, neq; à timida uirgine impetraret,neq; ea re minus efficere cogitaret, illo tempore parcæ ferūtur cecinisse fata,quæ perfici natura uoluit rerum:dixerunt enim, quicunq; Thetidis fuisset maritus,eius filium patre fore laude clariorem:quod Prometheus nō uolūtate sed necessitudine uigilans auditū *Ioui* nuntiauit:qui ueritus id quod ipse Saturno patri fecisset in simili causa,ne patris regno priuatus cogeretur, destitit Thetidē uelle ducere uxorē: & Prometheo pro beneficio meritam retulit gratiam, eumq; uinculis liberauit:neq; id quod fuerat iuratus, remisit uacuum omni alligatione futurū. Sed memoriæ causa ex utraq; re,hoc est lapide & ferro,sibi digitū uinciri iussit:qua cōsuetudine homines usi,quo satisfacere Prometheo uiderentur,anulos lapide & ferro cōclusos habere cœperunt. Nōnulli etiam coronā habuisse dixerunt, ut se uictorem impune peccasse diceret. Itaq; homines in maxima lætitia uictoriisq; coronas habere instituerunt, id in exercitationibus & cōuiuiis perspicere licebit. Sed(opinor)ad initium causæ & interitum aquilæ reuertamur. Hercules missus ab Euristeo ad Hesperidum mala,nescius uię deuenit ad Promethea,quem in Caucaso monte uinctum fuisse supra diximus:

à quo uia demonſtrata uictoriæ, dum iter faceret, contendit ut draconem, de quo ante diximus, interfectū diceret, & gratiam pro beneficio redderet: nam confeſtim honorē quem potuit, merenti reddidit. Quæ dimiſſa homines inſtituerūt, ut hoſtiis immolatis iocinora conſumerēt in deorum altaribus, ut exſaturare eos pro uiſceribus Promethei uiderentur. Vt Eratoſthenes autem de ſagitta demonſtrat, hac Apollo Cyclopas interfecit, qui Ioui fulmen fecerunt, quo Aeſculapiū interfectum complures dixerunt. Hanc autem ſagittā in Hyperboreo monte Apollinem defodiſſe. Cum autē Iupiter ignouerit filio, ipſam ſagittam uento ad Apollinem perlatam cum frugibus, quę eo tempore naſcebantur. Hanc igitur ob cauſam inter ſidera demonſtrant.

DE AQVILA.

AQuila. Hæc eſt quæ dicitur Ganymedē rapuiſſe, & amanti Ioui tradidiſſe: hāc etiam Iupiter primus ex auiū genere delegiſſe ſibi exiſtimatur: quæ ſola tradita eſt memoriæ, contra ſolis exorientis radios contendere ualere: itaq; ſuper aquarium uolare uidetur. Hunc enim complures Ganymedem eſſe finxerūt. Nonnulli etiam dixerunt Meropem quendam fuiſſe, qui Coon inſulam tenuerit regno, & à filiæ nomine Coon, & homines ipſos à ſe Meropas appellaret. Hunc autem habuiſſe uxorē nomine Ethemeam, genere Nympharum procreatam: quæ cum deſierit colere Dianam, ab ea ſagittis figi cœpit, tandemque à Proſerpina uiua ad inferos arrepta eſt: Meropem autem deſiderio uxoris permotum, mortem ſibi cōſciſcere uoluiſſe: Iunonem autem miſertam eius, in aquilam corpus eius conuertiſſe, & inter ſidera conſtituiſſe: ne ſi hominis effigie eum collocaret, nihilominus memoriam tenēs, coniugis deſiderio mouerctur. Aglaoſthenes aūt qui Naxica ſcripſit, ait Iouem Cretæ ſurreptum, Naxum delatum, & ibi eſſe nutritum: qui poſtquam peruenerit, ad uirilem ætatem, & uoluerit bello laceſcere Titanas, ſacrificāti ei aquilam auſpicatam: quo auſpicio uſum eſſe, & eam inter aſtra collocaſſe. Nonnulli etiam dixerunt Mercurium, alii autem Anapladē pulchritudine Veneris inductum in amorē incidiſſe: & cum ei copia non fieret, animum, ut contumelia accepta deſeciſſe: Iouem autem miſertum eius, cum Venus in Acheloo flumine corpus abluerct, miſiſſe aquilā, qui ſoccū eiº in Amythaoniā Aegyptiorū delatū Mercurio traderet: quē perſequens Venus ad cupientē ſui peruenit: qui copia facta, pro beneficio aquilā in mundo collocauit.

DE DELPHINE.

DElphinus. Hic qua de causa sit inter astra collocat⁹, Eratosthenes ita cum cæteris dicit: Neptunum quo tempore uoluerit Amphitritem ducere uxorem, & illa cupiēs conseruare uirginitatem, fugeret ad Atlanta, complures eā quæsitum dimisisse: in his & Delphina quēdam nomine, qui peruagatus insulas, aliquando ad uirginem peruenit, eiq; persuasit ut nuberet Neptuno, & ipse nuptias eorū administrauit: pro quo facto inter sidera delphini effigiē collocauit. Et hoc amplius: qui Neptuno simulacra faciunt, delphinū aut in manu aut sub pede eius constituere uidemus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur. Aglaosthenes autem qui Naxica conscripsit, Tyrrhenos ait fuisse quosdā nauicularios, qui puerum etiam Liberum patrem receptum, ut Naxum cum suis comitibus transuectum, redderent nutricibus nymphis: à quibus cū nutritū & nostri in progeniē deorū esse, & cōplures Græci dixerūt. Sed ut ad ꝓpositū reuertamur: Nauicularii spe p̄dę inducti, nauē auertere uoluerūt: quod Liber suspicatus, comites suos iubet symphoniā canere: quo sonitu inaudito Tyrrheni, cū usq; adeo delectarent, ut etiam in saltatiōibus essent occupati, cupiditate saltādi se in mare inscii proiecerunt, & ibi delphines sunt facti: quorū cogitationē cum Liber memoriæ hominum tradere uoluisset, unius effigiem inter sidera collocauit. Alii autem dicunt, hunc esse delphina, qui Ariona citharœdum ex Siculo mari Tænarum transuexit: qui cum cæteros artificio præstaret, & circū insulas quæstus causa uagaretur, seruuli eius arbitrati plus in perfidiosa libertate cōmodi, q̄ in placida seruitute esse, cogitare cœperūt, ut domino in pelagus proiecto, bona eius inter se partirentur: qui cum cogitationem eorum sensisset, petiit non ut dominus à seruis, & innocens ab improbis, sed ut parens à filiis, ut se liceret ornare, qua sępe uicerat ueste, quoniā nemo esset ali⁹ qui, ut ipse suum quęstum prosequeretur euentū. Quod cum impetrasset, cithara sumpta, suā cœpit deflere mortē: quo sonitu ducti delphines, è toto mari pronatant ad Arionis cantū. Itaq; deorū immortaliū potestate inuocata, super eos se deiecit: quorū unus Arionа exceptū pertulit ad Tęnariū litus. Cuius memoriæ causa, quæ ibi statua est Arioīs, in ea delphini simulacrū affixū uidet: pro qua re inter sidera ab antiquis astrologis est figuratū. Serui aūt, qui se putabāt seruitute elapsos, tē pestate Tęnarū pducti, à domino cōprehēsi, nō mediocri supplicio sunt affecti.

DE EQVO.

Quus. Hunc Aratus & alii cõplures, Pegasum Neptuni & Medusæ Gorgonis filium dixerunt: qui in Heliconе Bœotiæ monte ungula saxum feriens, fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene est dictus. Alii dicũt, quo tempore Bellerophontes ad Prœtum Abantis filium, Argiuorũ regem deuenerit, Antiam regis uxorem hospitis amore inductã, petiisse ab eo, uti sibi copiam faceret, promittẽs ei coniugis regnum. Quæ cum impetrare non potuisset, uerita ne se ad regem criminaretur, occupat, eum sibi uim afferre uoluisse Prœto dicit. Qui quod eum dilexerat, noluit ipse supplicium sumere, sed quod æquũ esse sciebat, mittit eum ad Iobatem Antię patrem, quam alii Sthenobœam dixerunt: ut ille filiæ pudicitiam defendens, Bellerophontem obiiceret Chimeræ, quæ eo tempore Lyciorum agros flamma uastabat. Vnde uictor profugiens, post fontis inuentionem cum ad cœlum cõtenderet euolare, neq; longe iam abesset, despiciens ad terrã, timore permotus decidit, ibiq; periisse dicitur: equus autem subuolasse, & inter sidera ab Ioue constitutus existimatur. Alii non criminatum ab Antia, sed ne sæpius audiret quod nollet, aut precibus eius moueretur, profugisse Argis dixerunt. Euripides autem in Menalippa, Hippen Chironis centauri filiam Thean antea appellatam dicit: quæ cum aleretur in monte Pelio, & studium in uenando maximum haberet, quodam tempore ab Aeolo Hellenis filio Iouis nepote persuasam, concepisse: cumq; iam partus appropinquaret, profugisse in syluam, ne patri, cum uirginem speraret, nepotẽ procreasse uideretur. Itaq; cũ parens eam persequeretur, dicitur illa petisse ab deorum potestate, ne pariens à parente conspiceretur: Quę deorũ uolũtate postquã peperit, in equam conuersa, inter astra est constituta. Nonnulli eam uatem dixerunt fuisse: sed quod deorum consilia hominibus sit enuntiare solita, in equã esse conuersam. Callimachus autẽ ait, quod desierit uenari & colere Dianam, in quã specie, ut supra diximus, eã Dianã cõuertisse. Hæc dicitur etiam hac re nõ esse in cõspectu centauri, quẽ Chirona nõnulli esse dixerũt: & etiam dimidiã apparere, quòd noluerit sciri, se fœminam esse.

DE DELTOTO.

Eltoton. Hoc sidus uelut litera est Græca in triãgulo posita, itaq; appellatur: quod Mercurius supra caput arietis statuisse existimatur ideo, ut obscuritas arietis huius

splendore,quo loco esset,significaretur:& Iouis nomine Græce Δία, primam literam deformaret. Nonnulli Aegypti positionem:alii,qua Nilus terminaret Aethiopiam & Aegyptum dixerunt. Alii Siciliam figuratam putauerunt. Alii quod orbem terrarum superiores trifariam diuiserunt,tresangulos esse constitutos dixerunt.

DE ARIETE.

ARies. Hic existimat esse,qui Phryxũ transtulisse & Hellẽ dictus est per Hellespõtum: quẽ Hesiodus & Pherecydes ait habuisse auream pellem: de qua alibi plura dicemus. Sed Hellen decidisse in Hellespontum,& à Neptuno compressam,Peona procreasse complures,nonnulli Hedonum *dixerunt*. Præterea Phryxum incolumem ad Aeetam peruenisse, arietem *Ioui* immolasse,pellem in templo fixisse,& arietis ipsius effigiem ab Nube inter sidera constitutam, habere tempus anni quo frumentum seritur:ideo,quòd hortum seuerit antè,quæ maxime fugæ fuit *causa*. Et Eratosthenes ait, arietem ipsum sibi pellem aureã detraxisse,& Phryxo memoriæ causa dedisse,ipsum ad sidera peruenisse:quare,ut supra diximus,obscurius uideatur. Hunc autem nonnulli dixerunt in oppido Orchomenio, quod est in Bœotia, natum. Alii in Salonum Thessaliæ finibus procreatum. Alii dicunt Crethea & Athamantem cum aliis pluribus Aeoli filios fuisse. Nonnulli etiam Athamantis filium Salmonea esse, Aeoli nepotem dixerunt. Crethea autem *habuisse* Demodicen uxorem,quam alii Biadicen dixerũt. Hanc autẽ Phryxi Athamãtis filii corpore inductam,in amorem incidisse, neq; ab eo ut sibi copiam faceret, impetrare potuisse:itaq; necesario coactã,criminari eum ad Crethea cœpisse,quę diceret ab eo uim sibi penè illatã, & horum similia mulierũ cõsuetudine dixisse. Quo facto Crethea ut uxoris amantẽ & regem decebat permotũ, Athamanti ut de eo supplicium sumeret persuasisse. Nubem autẽ interuenisse,& ereptum Phryxum & Hellẽ eius sororem in arietem imposuisse,& per Hellespontũ q̃ longissime posset,profugere iussisse:Hellẽ decidisse, & ibi debitum naturę reddidisse,& ex eius nomine Hellespontum appellatum. Phryxum Colchos peruenisse, & ut ante diximus, arietis interfecti pellem in templo fixisse: ipsum autem à Mercurio ad Athamantem esse reductum: qui patri eius satisfecerit, eũ innocentia confisum profugisse. Hermippus autem dicit, quo tempore Liber Africam oppugnauerit,deuenisse cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinem

pulueris, Hammodes est appellatus. Itaque cum in maximũ periculũ deueniſſet, quod iter neceſſario facere uidebat, acceſſit eò, ut aquæ maxima penuria eſſet: quo facto exercitus ad defectionẽ maximã uenire cogebatur. Qui dum quid agerent cogitarent, aries quidã fortuitò ad milites eorum errans peruenit: quos cum uidiſſet, fuga pręſidium ſibi parauit. Milites autem qui eum fuerant cõſpicati, & ſi puluere & æſtu preſſi uix progrediebantur, tamẽ ut prædam ex flãma petentes, arietẽ ſequi cœperũt uſq; ad eum locũ, qui Iouis Hãmonis poſtea tẽplo conſtituto, eſt appellatus. Quo cũ peruenisſent arietẽ quẽ conſecuti fuerant, nusq̃ inuenire potuerunt: ſed quod magis his fuerat optandum, aquę magnam copiã in eo loco nacti, corpora recuperauerunt, & Libero ſtatim nuntiauerũt. Qui gauiſus, ad eos fines exercitum deduxit, & Iouis Hammonis templum cum arietinis cornibus ſimulacro facto conſtituit: arietẽ inter ſidera figurauit, ita, ut cũ ſol in eius foret ſigno, omnia naſcẽtia recrearent, quę ueris tẽpore fiũt: hac re maxime, quòd illius fuga Liber recreauit exercitũ. Præterea XII. ſignorum principẽ uoluit: quòd ille optimus exercitui fuerit ductor. Sed de Hammonis ſimulacro, Leon qui res Aegyptias conſcripſit, ait: Cum Liber Aegyptũ & reliquos fines regno teneret, & omnia primus hominibus oſtendiſſe diceretur, Hammonem quendam ex Africa ueniſſe, & pecoris multitudinem ad Liberum adduxiſſe, quo facilius & eius gratia uteretur, & aliquid primus inueniſſe diceretur. Itaq; pro beneficio ei Liber exiſtimatur agrum dediſſe qui eſt contra Thebas Aegyptias: & qui ſimulacra faciunt Hammonis, capite cornuto inſtituunt, ut homines memoriæ teneant, eum primum pecus oſtendiſſe. Qui autem Libero factum uoluerunt aſſignare, quod non petierit ab Hammone, ſed ultrò ad eum ſit adductum, Liberi cornuta ſimulacra fecerunt, & arietem memoriæ cauſa inter ſidera fixum dixerunt.

DE TAVRO.

Aurus. Hic dicitur inter aſtra eſſe conſtitutus, quòd Europam incolumẽ tranſuexerit Cretã, ut Euripides dicit. Nonnulli aiunt, cum in bouem ſit cõuerſa, ut Iupiter ei ſatisfacere uideretur, inter ſidera conſtituiſſe: quòd eius prior pars appareat ut tauri, ſed reliquũ corpus obſcurius uideat. Aſpectat autẽ ad exortũ ſolem: cuius oris effigiẽ quæ continẽt ſtellæ, Hyades appellantur. Has aũt Pherecydes Athenienſis Liberi nutrices eſſe demonſtrat, numero ſeptẽ: quas etiã antea Nymphas Dodonidas ap

pellatas. Harũ noia sunt hęc: Ambrosia, Eudora, Phęsyle, Coronis, Polyxo, Phæo, Thyene. Hæ dicũtur à Lycurgo fugatæ, & præter Ambrosiã oẽs ad Thetym profugisse, ut ait Asclepiades. Sed ut Pherecydes dicit, ad Thebas Liberũ patrũ Iunõi tradiderũt. Quã ob causam ab Ioue his gratia eis est relata, quod inter sidera sunt constitutæ. Pleiades aũt appellatæ sunt ut ait Mnaseas, quòd ex Atlãte & Pleione Oceani filia sint XV. filiæ procreatæ, quarũ quinq; Hyades appellatas demõstrat quòd earũ Hyas fuerit frater, à sororibus plurimũ dilectus: Qui cũ uenans à leone esset interfectus, quinq; de quibus suprà diximus lamẽtationibus assiduis permotæ dicũtur interisse: quare eas, quod plurimũ de eius morte laborarẽt, Hyadas appellatas. Reliquas uero decẽ sorores deliberasse de sororũ morte, & earũ septem sibi mortem consciisse: qua re, quod plures idem senserunt, Pleiades dictas. Alexander autem Hyadas ait dictas, quòd Hyades & Boetiæ sunt filiæ: Pleiadas autem quod ex Pleione Oceani filia & Atlante sint natę. Hę numero septem dicuntur: sed nemo amplius quàm sex uidere potest. Cuius causa proditur hęc, quòd de septem, sex cum immortalibus concubuerunt, tres cum Ioue, duæ cum Neptuno, una cum Marte, reliqua autẽ Sisyphi uxor demõstratur. Quarum ex Electra & Ioue, Dardanum: ex Maia, Mercurium: ex Taygete Lacedęmona procreatũ: ex Alcynoe autẽ & Neptuno, Hyriea: ex Celeno Lycum & Nyctea natũ. Martem aũt ex Sterope Oenomaum procreasse, quam alii Oenomai dixerũt uxorẽ: Meropẽ aũt Sisypho nuptã Glaucũ genuisse: quem cõplures Bellerophontis patrẽ esse dixerunt. Quare propter reliquas sorores eius inter sidera cõstitutam: sed quod homini nupserit, stellam eius obscuratã. Alii dicunt Electrã nõ apparere ideo, quod Pleiades existimẽtur choream ducere stellæ. Sed postq̃ Troia sit capta, & progenies eius quæ à Dardano fuerit, sit euersa, dolore permotam, ab his se remouisse, & in circulo qui arcticus dicitur constitisse: & quodam longo tempore lamentantem capillo sparso uideri, itaque è facto Cometem esse appellatam. Sed has Pleiadas antiqui astrologi seorsum à tauro deformauerunt, ut ante diximus, Pleiones & Atlantis filias: quæ cum per Bœotiam cũ puellis iter faceret, Oriona cõcitatum uoluisse ei uim afferre, illã fugere cœpisse: Oriona aũt secutũ esse annis duodecim neq; eam inuenire potuisse. Iouem autem puellarum misertum, inter astra constituisse: & postea à nonnullis astrologis caudã tauri appellatas. Itaq; adhuc Orion fugientes eas ad occasum sequi uidetur. Eas stellas

Vergilias noſtri appellauerunt, quod poſt uer exoriuntur: & hæ quidem ampliorem cęteris habent honorem: quod earum ſigno exorien te, æſtas ſignificatur: occidente autē, hyems oſtenditur, quod aliis non eſt traditum ſignis.

DE GEMINIS.

Emini. Hos complures aſtrologi Caſtorem & Pollucem eſſe dixerunt: quos demonſtrant omnium fratrum inter ſe amantiſſimos fuiſſe: quòd neq; de principatu contenderunt, neq; ullā rē ſine cōmuni conſilio geſſerunt. Pro quibus officiis eorū Iupiter inter notiſſima ſidera eos cōſtituiſſe exiſtimatur. Neptunū aūt pari conſilio muneraſſe: Nam equos his quibus uruntur, donauit: & dedit poteſtatē naufragiis ſaluti eſſe. Alii dixerunt Herculem eſſe & Apollinem. Nonnulli etiam Triptolemum, quem ſupra diximus, & Iaſiona à Cerere dilectos, & ad ſidera perlatos. Sed qui de Caſtore & Polluce dicunt, hoc amplius addunt, ut Caſtor in oppido Adriadnis ſit occiſus, quo tempore Lacedæmonii cū Athenienſibus bellum geſſerunt. Alii autem cum oppugnarent Spartam Lynceus & Idas, ibi periſſe dixerunt. Pollucem ait Homerus conceſſiſſe fratri dimidiā uitam: Itaq; alternis diebus eorum quenq; lucere.

DE CANCRO.

Ancer. Hic dicit Iunonis beneficio inter aſtra collocat⁹: quòd cū Hercules cōtra hydrā Læream conſtitiſſet, ex palude pedē eius mordicus arripuiſſet: qua de re Herculē permorum, cum interfeciſſe: Iunonem autem inter ſidera conſtituiſſe, ut eſſet cum duodecim ſignis, quæ maxime ſolis curſu continentur. In eius deformationis parte ſunt quidam, qui aſini appellant: à Libero in teſtā cancri duabus ſtellis figurati. Liber enim à Iunone furore obiecto, dicitur mente captus fugiſſe per Theſprotiam, cogitans ad Iouis Dodonæi templum peruenire, unde peteret reſponſum, quo facilius ad priſtinum ſtatum mentis peueniret: ſed cum ueniſſet ad quandā paludē magnā quam tranſire non poſſet, de quibuſdā duobus aſellis obuiis factis dicit unū deprehēdiſſe eos, & ita eſſe trāſuectū, ut omnino aquā nō tetigerit. Itaq; cū ueniſſet ad tēplū Iouis Dodonæi, ſtatim dicitur à furore liberatus, & aſellis gratiā retuliſſe, & inter aſtra eos collocaſſe. Nonnulli etiā dixerūt aſino illi quo fuerat uectus, uocē humanā dediſſe. Itaq; poſtea cū cū Priapo de natura contendiſſe, & uictū ab eo interfectū. Pro quo Liberū eius miſertū

in sideribus annumerasse. Et ut sciretur id pro deo nō pro homine timido (quia Iunonē fugerit) feciſse, supra cancrū cōstituit, qui deę bene ficio fuerat affixus astris. Dicit etiā alia historia de asellis, ut ait Eratosthenes: Quo tēpore Iupiter bello gigātibus inducto, ad eos oppugnā dos oēs deos conuocauit, uenisse Liberū patrē, Vulcanū, satyros, silenos asellis uectos: qui cū nō longe ab hostibus abesſent, dicūtur asselli pertimuisse, & ita pro se quisq; magnū clamorē & inauditū gigātibus fecisse, ut omnes hostes eorum clamore in fugam se cōiecerint, & ita sint superati. Huius similis est historia de buccina Tritonis. Namis quoq; fertur, cum cōcham inuentā excauasset & secū ad gigātes tulisset, & ibi sonitum quendam inauditum per concham misisse. Hostes autem ueritos ne qua esset immanis fera ab aduersariis adducta, cum esset ille mugitus, fugæ se mandasse, & ita uictos in hostium potestatem peruenisse.

DE LEONE.

Eo. Hic dicitur à Ioue constitutus, quòd omniū ferarum princeps esse existimatur. Nonnulli etiā hoc amplius dicunt, quod Herculis prima fuerit hęc certatio, & quod eū inermis interfecerit. De hoc & Pisander & complures alii scripserūt: cuius supra simulacrū proximū est uirgini. Sunt aliæ VII. stellæ ad caudā leonis in triāgulo collocatæ, quas crines Berenices eē Conō Samius mathematicus & Callimachus dicit: cū Ptolemæus Berenicē Ptolemæi & Aristonis filiā sororē suā duxisset uxorē, & paucis post diebus Asiam oppugnatū profectus esset, uouisse Berenicen, si uictor Ptolemæus redisset, se detonsurā crinē: quo uoto damnatam crinem in Veneris Arsinoes Zephyritidis posuisse templo: eosq; posteriore die non comparuisse: quod factum cum rex ægre ferret, Conō matemathicus (ut ante diximus) cupiens inire gratiam regis, dixit crinē inter sidera uideri collocatum: & quasdam uacuas à figura septem stellas ostendit quas crinē esse fingeret. Hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, & ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum Berenices patrem multitudine hostium perterritum fuga salutem petisse: filiam autem sæpe consuetam, insiliisse in equum, & reliquam exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse: pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit & uirginibus Lesbiis dotem quam cuiq; relictā à pa-

rente nemo ſolueret, iuſsiſse reddi: & inter eas conſtituiſse petitiõem.

DE VIRGINE.

Virgo. Hanc Heſiodus Iouis & Themidis filiam dicit: Aratus autem Aſtrei & Auroræ filiam exiſtimari, quòd eodẽ tempore fuerit cum aurea ſæcula hominum, & eorum principem fuiſse demonſtrat: Quam propter diligentiã & æquitatem, Iuſtitiam appellatam: neq; illo tempore ab hominibus exteras natiões bello lacelsitas eſse, neq; nauigio quenquã uſum eſse, ſed agris colendis uitam agere conſueuiſse. Sed poſt eorum obitũ qui ſint nati eos minus officiolos, magis auaros cœpiſse fieri: quare minus Iuſtitiam inter homines fuiſse conuerſatam. Denique eam peruenisſe uſq; eò, dum diceretur: Heu heu genus hominũ natum. Itaque iam nõ potuiſse pati amplius, & ad ſidera euolaſse. Sed hanc alii Fortunã, alii Cererem dixerunt: & hoc magis non conuenit inter eos, quod caput eius nimium obſcurum uidetur. Nõnulli etiam Erigonem Icarii filiam dixerunt, de qua ſupra diximus. Alii autem Apollinis filiam ex Chryſothemi natam, & infantem parthenõ nomine appellatã: eamq; quod parua interierit, ab Apolline inter ſidera collocatam.

DE SCORPIO.

Scorpius. Hic propter magnitudinem membrorum in duo ſigna diuiditur, quorum unius effigiem noſtri libra dixerunt. Sed omnino totum ſignum hac de cauſa ſtatutũ exiſtimatur: quòd Orion cũ uenaretur, & in eo exercitatiſsimum ſe eſse cõfideret, dixiſse etiam Dianę & Latonę, ſe omnia quæ ex terra exoriantur, interficere ualere: Quare terram permotam, Scorpionem miſiſse, qui eum interficere demõſtratur. Iouem autem utriuſq; animum admiratum, ſcorpionem inter aſtra collocaſse, ut ſpecies eius hominibus documẽto eſset, ne quis eorum de aliqua re ſibi cõfideret. Dianam autem propter ſtudium Orionis petiſse à Ioue ut idem illi beneficium daret petenti, quod Terræ ultrò tribuiſset. Itaq; eum conſtitutum, ut cũ Scorpion oriatur, Orion occidat.

DE SAGITTARIO.

Sagittarius. Hunc complures centaurum eſſe dixerunt. Alii autem hac de cauſa negauerunt, quod nemo centaurus ſagittis ſit uſus. Hic autẽ quæritur, cur equinis cruribus ſit deformatus, & caudam habeat ut ſatyri. Dicunt enim nõnulli hũc eſſe Crotũ nomine Euphemes muſarũ nutricis fili-

um,ut ait Sositheus tragœdiarũ scriptor:eũ domiciliũ in mõte Helicone habuisse,& cũ musis solitũ delectari, nõnunq; etiã studio uenatiõis exerceri. Itaq; pro merita diligentia magnã laudẽ assecutũ, nam & celerrimũ in syluis,& acutissimũ in musis factũ esse. Pro quo studio illius petisse musas ab Ioue,ut in aliquo astrorũ numero deformaret. Itaq; Iouẽ feciſſe,ut cũ omnia illius artificia uno corpore uellet significare,crura eius equina feciſſe,quòd equo multũ sit usus:& sagittas ꝓ ingenio adiũxisse,ut ex his & acumẽ & celeritas esse uideat. Caudã satyricã in corpore fixisse: quòd non minus hoc musæ,q̃ Liber Satyris sit delectatus. Ante huius pedes stellæ sunt paucæ in rotundo deformatæ,quas coronam eius ut ludentis abiectam,nonnulli dixerunt.

DE CAPRICORNO.

Capricornus. Huius effigies similis est ægipani: quem Iupiter, quòd cum eo erat nutritus, in sideribus esse uoluit, ut capram nutricem de qua ante diximus. Hic etiam dicitur, quòd cum Iupiter Titanas oppugnaret, primus obiecisse hostibus timorem qui πανικὸς appellatur, ut ait Eratosthenes: hac etiam de causa eius inferiorem partem piscis esse formationem,quòd muricibus, id est maritimis conchyliis, hostes sit iaculatus pro lapidum iactatione. Aegyptii autem sacerdotes & nonnulli poëtæ dicũt, cum complures dii in Aegyptum conuenissent, repente conuenisse eodem Typhona acerrimum gigãta, & maxime deorum inimicum: Quo timore permotos in alias figuras se conuertisse: Mercurium factum esse Ibin, Apollinem autem quæ Threicia auis uocatur. Dianam merulæ simulatam: Quibus de causis Aegyptios ea genera uiolari non sinere demonstrant:quòd deorum imagines dicãtur. Eodem tempore Pana dicunt in flumen se deiecisse, & posteriorem partem corporis,effigiem piscis, alteram autem hirci feciſſe, & ita à Typhone profugisse:cuius cogitatum Iouem admiratum,effigiem eius inter sidera fixisse.

DE AQVARIO.

Aquarius. Hunc complures Ganymedẽ esse dixerunt:quẽ Iupiter propter pulchritudinẽ corporis ereptũ parentibus, deorũ ministrũ feciſſe existimatur. Itaq; ostenditur ut aquam aliquò infundens. Hegesianax autem Deucalionã dicit esse:quòd eo regnante, tanta uis aquæ se de cœlo profuderit, ut cataclysmus factus esse diceretur. Eubolus autem Cecropem

demonſtrat eſse, antiquitatem generis commemorans, & oſtendens anteq̃ uinum traditum ſit hominibus, aqua in ſacrificiis deorum uſos eſse, & ante Cecropem regnaſse, quam uinum ſit inuentum.

DE PISCIBVS.

Iſces. Diogenites Erythracus ait, quodam tẽpore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem ueniſse, & eodem loco repente Typhona giganta, de quo ſupra diximus, apparuiſse. Venerem autem cum filio in flumen ſe proieciſse, & ibi figuram, piſcium forma mutaſse: quo facto, periculo eſse liberatos. Itaq; poſtea Syros qui his locis ſunt proximi, deſtitiſse piſces eſitare, quòd uereantur eos capere: ne ſimili cauſa aut deorũ præſidia impugnare uideantur, aut eos ipſos captare. Eratoſthenes autẽ ex eo piſce natos homines dicit: de quo poſt dicemus.

DE CETO.

Etus, De hoc dicitur quod à Neptuno ſit miſsus, ut Andromedã interficeret, de qua ante diximus: ſed à Perſeo ſit interfectus, propter immanitatẽ corporis, & per illius uirtutem inter ſidera collocatus.

DE ERIDANO.

Ridanus. Hunc alii Nilum, complures etiam Oceanũ eſse dixerũt. Qui autem Nilum uolunt uocari, propter magnitudinem eius & utilitatem, æquiſsimum eſse demonſtrant: propterea, quòd infra eum quædam ſtella ſit, clarius à cæteris lucens, nomine Canopos appellata. Canopos autem inſula flumine alluitur Nilo.

DE LEPORE.

Epus. Hic dicitur Orionis canem fugere uenantis. Nam cum, ut oportebat, eum uenatorem finxiſsent, uoluerũt etiam hoc ſignificare aliqua de cauſa: Itaque leporem ad pedes eius fugientem finxerunt: quem nõnulli à Mercurio conſtitutũ dixerũt, eiq; datum eſse præter cætera genera quadrupedum, ut alios pareret, alios haberet in uentre. Qui autẽ ab hac cauſa diſsentiunt, negant oportere tam nobilẽ & tam magnũ uenatorẽ, de quo & ante in ſcorpionis ſigno diximus, oportere fingi leporem uenari. Callimachũ quoq; accuſari, quòd cũ Dianæ ſcriberet laudes, eam leporũ ſanguine gaudere, & eos uenari dixiſset. Itaq; Oriona cũ tauro decertantẽ fecerũt. Leporis aũt hanc hiſtoriã memoriæ prodiderunt:

apud antiquos in insula Lero nullum leporē fuisse, sed ex eorū ciuitate adolescentiū quendā studio generis inductū, ab exteris finibus leporē fœminā prægnantem attulisse, & ad eius partum diligentissime ministrasse. Itaque cū peperisset, cōpluribus eius ciuitatis studiū incidisse, & partim pretio, partim beneficio mercatos, oēs lepores alere cœpisse. Itaq; non longo interuallo tantam multitudinē leporum procreatā, ut tota insula ab his occupata diceretur: quibus cum ab hominibus nihil daretur, in semina eorū impetu facto omnia comederunt. Quo facto incolæ calamitate affecti, cum fame forent oppressi, communi cōsilio totius ciuitatis uix deniq; eos ex insula abegisse dicūtur. Itaq; postea leporis figuram in astris constituisse, ut homines meminissent, nil esse tam exoptādum in uita, quin ex eo plus doloris quàm lætitiæ capere posterius cogerentur.

DE ORIONE.

ORion. Hunc Hesiodus Neptuni filium dicit, ex Euryale Minois filia natum. Concessum autem ei, ut *supra fluctus* curreret, ut in terra: quemadmodū Iphiclo datum dicitur, ut supra aristas curreret, nec eas infringeret. Aristomachus autem dicit quendam Erythrea fuisse Thebis, Pindarus autem in insula Chio. Hunc aūt cum Iouem & Mercuriū hospitio recepisset, petisse ab his ut sibi aliquid liberorū nasceret. Itaque quo facilius petitum impetraret, bouē immolasse, & his pro epulis apposuisse: quòd cū fecisset, poposcisse Iouē & Mercuriū, quod coriū de boue fuisset detractū, & quod fecerāt urinæ in corium infudisse, & id sub terra poni iussisse: ex quo postea natum puerum, quem Erythreus è facto Vriona nomine appellaret: sed uenustate & consuetudine factum est, ut Orion uocaretur. Hic dicitur Thebis Chium uenisse, & Oenopionis filiam Meropem per uinum cupiditate incensus cōpressisse: pro quo facto ab Oenopione excæcatus, & de insula eiectus: Existimat aūt Lemnū ad Vulcanū peruenisse, & ab eo quendam ducē Cedaliona nomine accepisse: quē collo ferēs ad solem uenisse, & ab eo sanatus, ut se ulciscereretur, Chium reuertisse, Oenopiona autem à ciuibus sub terra custoditum esse. Quem postquàm se inuenire posse desperaret Orion, in insulam Cretam peruenisse, & ibi uenari cœpisse cum Diana, & ei polliceri quæ supra diximus, & ita ad sidera peruenisse. Nonnulli autem aiunt, Oriona cum Oenopione propè nimia cōiunctum amicitia uixisse: & quod ei uoluerit suum studiū in uenando probare,

Dianæ quoq; pollicitum quæ supra diximus, & ita interfectum. Alii dicunt cum Callimacho, cum Dianæ uim uoluerit afferre, ab ea sagittis esse confixum, & ad sidera propter uenandi consimile studium deformatum. Ister autem dicit Oriona à Diana esse dilectum, & penè factum ut ei nupsisse existimaretur. Quod Apollo cũ ægrè ferret, & sæpe eam obiurgans nihil egisset, natantis Orionis lõge caput solum uideri conspicatus, contendit cum Diana, eam non posse sagittam mittere ad id quod nigrum in mari uideretur. Quæ cum se uellet in eo studio maxime artificem dici, sagitta missa caput Orionis traiecit. Itaque eum cum fluctus interfectum ad litus eiecisset, & se eũ Diana percussisse plurimum doleret, multis eius obitum prosecuta lachrymis, inter sidera statuisse existimatur. Sed quæ post mortem eius Diana fecerit, in eius historiis dicemus.

DE CANE.

CAnis. Hic dicitur ab Ioue custos Europæ appositus esse, & ad Minoa peruenisse: quem Procris Cephali uxor laborãtem dicitur sanasse, & pro eo beneficio canem munere accepisse, quòd illa studiosa fuerit uenationis: & quod cani fuerat datum, ne ulla fera eum præterire posset. Post eius obitum canis ad Cephalum peruenit, quòd Procris eius fuerat uxor: quem ille ducens secum Thebas peruenit, ubi erat uulpes cui datum dicebatur, omnes canes effugere posse. Itaq; cum in unum peruenissent, Iupiter nescius quid faceret (ut Ister ait) utrosque in lapides conuertit. Nonnulli hunc canem Orionis esse dixerunt, & quòd studiosus fuerit uenandi, cum eo quoque cane inter sidera collocatum. Alii autem Icarii canem esse dixerunt, de quo ante diximus: quæ multa proposita suos habent autores. Sed canis habet in lingua stellam unam, quæ ipsa canis appellatur: in capite autem alteram, quam Isis suo nomine statuisse existimatur, & Sirion appellasse propter flammæ candorem: quòd eiusmodi sit, ut præter cæteras lucere uideatur. Itaque quo magis eam cognoscerent, Sirion appellasse.

DE PROCYONE.

PRocyon. Hic ante maiorem canem exoriri uidetur, sed à nonnullis Orionis esse existimatur, hac etiã de causa Procyonem appellatum, sed iisdẽ omnibus historiis, quibus superior canis annumeratur.

DE ARGO.

Rgo. Hanc nonnulli propter celeritatem Græce dixerunt Argo appellatam. Alii, quòd Argus eius fuerit inuentor. Hanc autem primam in mari fuisse complures dixerunt: & hac re maxime stellis esse figuratam. Hanc nauim factam Pindarus ait in Magnesia oppido, cui Demetrias est nomen. Callimachus autem in iisdem finibus ad Apollinis Actii tẽplum, quòd Argonautæ proficiscentes statuisse existimantur in eo loco qui Pagasæ uocatur, ideo, quòd nauis Argo ibi primum compacta dicitur, quod est Græce παγασαι. Homerus hunc eundem locum in Thessaliæ finibus esse demonstrat. Aeschylus autem ut nonnulli aiunt, à Minerua quandam materiam loquentem eodem esse coniunctam. Sed huius non tota effigies inter astra uidetur, diuisa enim est à puppi usque ad malum: significans, ne homines fractis nauibus pertimescerent.

DE CENTAVRO.

Entaurus. Hic dicitur nomine Chiron, Saturni & Phillyræ filius esse: qui non modo cæteros centauros, sed homines quoque iustitia superasse, Aesculapium & Achillem nutrisse existimatur: pietate igitur & diligentia effecit, ut inter astra numeraretur. Apud hunc Hercules cum diuerteretur, & simul cum Chirone sedens sagittas cõsideraret, fertur una earum decidisse supra pedem Chironis, & ita eum interfecisse. Alii autem dicunt centaurum miratum, quòd tam breuibus sagittis tam magna corpora centaurorum interfecerit, ipsum contendere arcum conatum: itaque ex eius manu sagittam prolapsam, in pedem eius incidisse: pro qua re Iupiter eius misertus, inter sidera eum constituit cum hostia quam supra aram tenens immolare uidetur. Hunc alii Pholon esse centaurum dixerunt, eum qui aruspicio præter cęteros plurimum ualuisset: itaque ad aram cum hostia uenire Iouis uoluntate figuratum.

DE ARA.

Ra. In hac primum dii existimantur sacra & coniurationem fecisse, cum Titanas oppugnare conarentur: eam autem cyclopas fecisse. Ab ea consuetudine homines dicuntur instituisse sibi, ut cum aliquam rem efficere cogitarẽt, prius sacrificarent, quàm agere incœpissent.

DE HYDRA.

Hydra, in qua coruus insidere, & crater positus existimat, de qua hanc habemus memoriæ proditam causam: Coruus Apollinis tutela usus, eo sacrificante missus ad fontē aquam puram petitum, uidit arbores complures ficorū immaturas: eas expectans dum matureſcerēt, in arbore quadam eaꝝ consedit. Itaq; post aliquot dies coctis ficis & à coruo cōpluribus eaꝝ comesis, expectās Apollo coruū, uidit eum cum cratere pleno uolare festinantem. Pro quo admisso eius dicitur (quòd diu moratus sit Apollo, qui coactus mora corui, alia aqua est usus) hac ignominia eū affeciſſe, ut quandiu ficus concoquerentur, coruus bibere non possit ideo, quòd guttur habeat pertusum illis diebus. Itaq; cum uellet significare sitim corui, inter sidera constituit craterā, & suppoſuit hydram quæ coruum sitientem moraretur: uidetur enim rostro caudam eius extremam uerberare, ut tanq̄ non sinat se ad craterā transire. Ister autem & complures dixerunt, Coronida Phlegyæ filiam fuisse: hanc autem ex Apolline Aesculapium procreasse: sed postea Ischyn Elati filium cum ea cōcubuisse. Quod cum uideret coruus, Apollini nuntiasse: qui cum fuerit antea candidus, pro incommodo nuntio eum nigrum feciſſe, & Ischyn sagittis confixisse. De cratere autē hanc historiam Philarchus scribit: In Cherſonesso quæ confinis est Troiæ, ubi Protesilai sepulchrum statutum complures dixerunt, urbs Phlagusa nomine dicitur, in qua Demiphon quidam cum regnaret, incidit eorum finibus repentina uastitas & ciuiū internecio miranda: quare Demiphonta permotum ferunt misisse ad Apollinis oraculum, quærens remedium uastitatis. Respōso autem dato, ut quotannis una de nobilium genere uirgo diis penatibus eoꝝ immolaretur, Demiphō autem omnium filias prēter suas sorte ductas interficiebat, usq; dum cuidam ciuium loco nobiliſſimo eorum nato perdoluit incœptum Demiphōtis: qui negare cœpit de sua filia se passurum sortiri, nisi eodem regis filiæ essent coniectæ. Quo facto rex permotus, illius filiam sine sorte ductam interfecit: quod Matusius nomine uirginis pater instanti tempore simulauit se patrię causa non ægrè ferre factum: potuisset enim postea sorte ducta nihilominus interire: quod paulatim dies regi in obliuionem perduxit. Itaq; cum se propè amiciſſimū regi uirginis pater ostendisset, solenne sacrificium se habere dixit, eumq; & filias eius ad id conficiendū inuitauit: qui nihil aliter futurum suspi

catus, filias ante misit, ut ipse occupatus in re ciuili postea ueniret. Quod cum exoptanti Matusio accidisset, filias eius interfecit, & sanguinem earum cum uino in cratere mixtum aduenienti regi in potione dari iussit. Qui cum filias desideraret, & quid his factum esset re sciisset, Matusium cum cratere in mare proiici iussit: Quo facto mare quo ille est proiectus, memoriæ causa Matusiũ uocatũ est: portus autem adhuc crater appellatur: quem antiqui astrologi stellis defor mauerunt, ut homines meminissent, maleficium neminem temere lucrari posse: neq; obliuionem inimicitiarum fieri solere. Nonnulli cum Eratosthene dicunt, eum cratera esse quo Icarius sit usus cum hominibus ostenderet uinum. Alii autem dolium esse, quo Mars ab Etho & Ephialte sit coniectus.

DE PISCE NOTIO.

PIscis qui Notius appellatur. Hic uidetur ore aquam excipere à signo aquarii: qui laborantem quondam Isin seruasse existimatur: pro quo beneficio simulacrum piscis, & eius filiorum, de quibus ante diximus, inter astra constituit. Itaq; Syri cõplures pisces non esitant, & eorum simulacra inaurata pro diis penatibus colunt. De hoc & Hegesias scribit.

DE QVINQVE STELLIS.

RElíquum est nobis de quinq; stellis, quas cõplures ut erraticas, ita πλανήτας Græci. i. uagos dixerunt. Quarum una est Iouis nomine Phaëthon quẽ Heraclides Põticus ait, quo tempore Prometheus homines finxerit, hunc pulchritudine corporis reliquos præstantem fecisse, eumq; supprimere cogitare, atq; ut certũ redderet Cupidinẽ, Ioui nuntiasse: Quo facto missum Mercurium ad Phaëthõta, persuasisse ut ad Iouem ueniret, & immortalis fieret. Itaq; eum inter astra collocatum.

SEcunda stella dicitur Solis, quam alii Saturni dixerunt. Hanc Eratosthenes à Solis filio Phaëthonta appellatam dicit: de quo cõplures scripserunt, ut patris insciẽtis curru uectus, incẽderit terras: Quo facto ab Ioue fulmine percussus, in Eridanũ deiectus est, & à Sole inter sidera perlatus.

TErtia est stella Martis, quã alii Herculis dixerũt, Veneris sequẽs stellam, hac (ut Eratosthenes ait) de causa: Quòd Vulcanus cum uxorem Venerem duxisset, & propter eius obseruantiam Marti copia nõ fieret, ut nihil aliud assequi uideretur, nisi sua stella Veneris si-

dus persequi à Venere impetrauit. Itaq; cum uehementer eum amor incenderet, significans è facto stellam, Piroënta appellauit.

QVarta stella est Veneris, Lucifer nomine: quam nonnulli Iunonis esse dixerunt. Hunc eundem hesperum appellari multis traditum est historiis. Hic autem omnium siderum maximus esse uidetur. Nonnulli autem hunc Aurorae & Cephali filium esse dixerũt, pulchritudine multis praestantem: ex qua re etiam cum Venere dicitur certasse, ut etiam Eratosthenes dicit, cum hac de causa Veneris appellari: exoriente sole, & occidente uideri: quare, ut ante diximus, iure hunc & luciferum, & hesperum nominatum.

QVinta stella est Mercurii nomine Stilbon: sed haec est breuis & clara: Haec autem Mercurio data existimatur, quòd primus menses instituerit, & praeuiderit siderum cursus. Euhemerus autẽ primam ait Venerem astra constituisse & Mercurio demonstrasse.

DE LACTEO CIRCVLO.

PRaeterea ostenditur circulus quidã in sideribus, candido colore, quem Lacteum esse nonnulli dixerũt. Eratosthenes enim dicit Mercurio infanti insciã puero Iunonẽ dedisse lac: sed postq̃ eum rescierit Maię filium esse, reiecisse eum à se, & ita lactis perfusi splendorem inter sidera apparere. Alii dixerunt dormienti Iunoni Herculem suppositum, & experrectam, id quod supra diximus, fecisse. Alii aũt Herculẽ propter nimiam auiditatem, lactis multitudinem appetisse, neq; in ore continere potuisse: quod ex ore eius profusum, circulum signasse. Alii dicunt quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, iussisse ei lac praebere: quę cum pressisset mãmam, profuso lacte circulum deformatum, quem supra demonstrauimus. Nos autem omnium corporum deformationem dicere instituemus.

C. IVL. HIGINI,
DE COELESTIVM CORPORVM DEFORMAtione,& in iis ſtellarum numero.

DE VTRAQVE ARCTO.

IGitur incipiemus à polo boreo protinus dicere, quo utræq; arcti nixæ uehũtur arctico circulo clauſæ & ita collocatæ,ut alternis unaquæq; earum reſupinata caput alterius tegere uideatur,ita tamen,ut caput eius quæ ſuperior fuerit,ad caudam inferioris contendat. Harum maior in extremo circulo pedes habet fixos. Præterea habet in capite ſtellas VII. omnes obſcuras. In utriſq; auribus binas. In humero claram unam. In pede nouiſſimo duas. In ſummo interſcapilio unam. In crure de poſterioribus primo,unam. In pede priori duas. In cauda ipſa tres. Ita totius ſideris ſtellæ ſunt omnino XXI.

Minor autem habet in ſtationis unoquoq; loco ſtellas ſingulas clare lucentes, & ſupra caudam tres: omnino ſeptem: ſed in prioribus caudæ ſtellis una eſt infima quæ polus appellatur, ut Eratoſthenes dicit, per quem locum ipſe mundus exiſtimatur uerſari. Reliquæ autē duę κυνοσοῦραι dicuntur, quòd circum polum uerſentur.

DE DRACONE.

DRaco inter duas arctos collocatus, uidetur corporis ſinu facto arctum minorē ita concludere, ut penè pedes eius tangere uideatur, cauda autem flexa, caput maioris attingere: & ſuo capite tanquàm reducto, circulum arcticum tangens, corpus ut in ſphæram complicari, & ſi quis diligentius attēderit, uidere poterit caput draconis ad maioris urſæ regionem caudæ collocatum. Hic habet in utroq; tempore ſtellas ſingulas. In oculis ſingulas. In mēto unam, & toto corpore reliquo paſſim diſpoſitas decem, ita ut omnino ſtellarum ſit XV.

C. IVL. HIGINI,
DE ARCTOPHYLACE.

ARctophylax. Huius manum ſiniſtram circulus arcticus includit ita, ut neq; occidere neque exoriri uideatur: ipſe autem poſitus ab arctico circulo ad æſtiuum definitur inclinatus in longitudinem, dextro pede æſtiuo circulo nixus. Huius humeros & pectus à reliquo corpore diuidit circulus, q̃ per utroſque polos tranſiens tangit arietem & chelas. Hic quidem cũ tauro, & geminis, & cancro, & leone occidit: ideo ſerò occidere dicit, quòd magis erectus, à pedibus peruenit ad terram: at exoriens citius quàm chelæ uidetur. Habet autẽ in manu ſiniſtra ſtellas quatuor, quæ nunquam occidere dicuntur. In capite ſtellam unam. In utroque humero ſingulas. In utraq; mamma ſingulas, ſed clariorem dextram & ſub ea alteram obſcuram, & in cubito dextro claram unam. In zona unam clarius cæteris lucentem: hæc ſtella Arcturus appellatur. In utriſque pedibus ſingulas, quæ omnino ſunt XIIII.

DE CORONA.

COronam humero ſiniſtro prope contingere arctophylax uidetur: quæ autem Engonaſin dextri pedis calce contingit, hæc cancro & leone exoriente occidere, cum ſcorpione exoriri perſpicitur. Habet autem nouem ſtellas in rotundo diſpoſitas: ſed ex his tres clarius cæteris lucentes.

DE ENGONASIN.

ENgonasin. Hic positus inter duos circulos, arcticum & æstiuum, utrisq; pedibus & dextro genu, quē ante dixi mus, arcticum circulum finit, ita tamen, ut dextro pede prioribus digitis circulum terminet, sinistro autem toro caput draconis opprimere conetur. Humeris autē uelut sustinens circulum æstiuū, & manu dextra proiecta tangens: lęuā aūt e regione ad sinistrū genu porrigēs, æquali interuallo circuli æstiui & genu sinistri. Hic occidēs capite prius quam reliquo corpore deuenit ad terrā: qui cum totus occidit, ut pendere pedibus ex arctico circulo uideatur: exoriens ante pedibus quàm reliquis membris. Habet autem in capite stellam unam. In sinistro brachio unā. In utroq; humero singulas clare lucentes. In manu sinistra unam, in dextro cubito alterā. In utroq; latere singulas, sed clariorē in sinistro. In dextro femore duas. In genu unam. In poplite unam. In crure duas. In pede unam quę dicitur clara. In sinistra manu quatuor, quas pellem leonis esse nonnulli dixerunt.

DE LYRA.

LYra. Hæc posita est contra regionem eius loci, qui est inter genu & manum sinistram eius qui Engonasin uocatur, cuius ipsa testudo spectat ad arcticum circulũ, summum autem cacumen ad polum notium contendere uidetur. Hæc lyra uirgine exoriẽte occidere, cum sagittario exoriri perspicitur. Habet autem in ipsis testudinis lateribus singulas stellas. In summis cacuminibus eorum quæ in testudine ut brachia sunt collecta, singulas. In mediis iisdem, quas humeros Eratosthenes fingit, singulas. In scapulis ipsius testudinis unam. In ima lyra, quæ ut basis to eius uidetur, unam.

DE OLORE.

OLor. Huius una ala est ad circunductionem huius circuli qui arcticus uocatur, contingens extremum pedem sinistrum eius qui Engonasin uocatur: sinistram autē alā habet paululum extra circulum æstiuum, penè coniungens pedibus Pegasi: æstiuus autē circulus rostrum eius à reliquo corpore diuidit. Cauda iungitur extrema cum capite Cephei. Hic cum uirgine & chelis occidens, prius capite quàm reliquis membris deuenit ad terram: exoritur autem cum capricorno. Hic habet in capite stellam clare lucētem unam. In collo alteram pari fulgore. In utrilq; pennis quinas. Supra caudam unam. Omnino habet stellas XIII.

DE CEPHEO.

CEpheus à tergo minoris arcti constitutus includitur arctico circulo à pedibus ad pectus, ut præter humeros & caput eius nihil occidere uideatur: neq; longe abest à flexu draconis, quem capite primum efficere uidetur. Cepheus autem manibus utrisq; proiectis figuratus, tanto dissidet interuallo à pedibus arcti minoris, quantũ spatium inter pedes Cephei uidetur. Huius corpus scorpione exorto occidere, cum sagittario exoriri perspicitur. Hic autẽ habet in capite stellas duas. In manu dextera unam. Itẽ in cubito obscurã unã. In sinistra manu & humero singulas. In dextero humero unam. In zona quæ mediũ eius diuidit corpus tres stellæ claræ uidẽtur. In latere dextro obscura una. In sinistro genu duæ. In utrisq; pedibus singulę. Supra pedes stellę quatuor. Hic totus omnino est stellarum XVIIII.

C. IVL. HIGINI,

DE CASSIOPEIA.

CAssiopeia ſedens in ſiliquaſtro, collocata eſt: cuius ſedilis & ipſius Caſſiopeiæ pedes poſiti in ipſa circumductione circuli qui arcticus uocatur: effigies autē corporis ad æſtiuum circulum peruenit, quam capite & dextera manu tangit. Hanc propè mediâ diuidit circulus is, qui lacteus appellatur: proximè Cephei ſignum collocatum. Hæc occidens ſcorpione exoriente, capite cum ſedili reſupina ferri perſpicitur, exoriri autem cum ſagittario. Huius in capite ſtella oſtenditur una. In utroque humero una. In papillâ dextera clara una. In lumbis magna una. In ſiniſtro femore duæ. In genu una. In pede dextro una. In quadrato quâ ſella deformatur in angulis utriſq; ſingulæ clarius cæteris lucentes. Hæc igitur eſt omnino ſtellarum XIII.



DE ANDRÓMEDA.

ANdromeda proxime Cassiopeiam, supra caput Persei breui interuallo dissidente collocata perspicitur, manibus diuersis uincta, ut antiquis historiis est traditū. Cuius caput equi Pegasi uentri coniungitur: eadē enim stella & umbilicus Pegasi & Andromedæ caput appellatur. Huius medium pectus & manum sinistram circulus ęstiuus diuidit. Occidit autē cum pisce de duobus secūdo, quem Andromadę subiectum brachio supra diximus, exoriēte libra & scorpione, capite prius quàm reliquo corpore perueniens ad terram. Exoritur autem cum piscibus & ariete. Hæc ut supra diximus, habet in capite stellam clare lucentem unā. In utroq; humero unam. In cubito dextro unam. In ipsa manu unā. In sinistro cubito unam. In brachio unam, in manu alteram. In zona tres. Supra zonam quatuor. In utroq; genu unam, in pedibus autem binas. Ita omnino est stellarum XX.

DE PERSEO.

PErseus. Huius siniſtrum crus & humerum læuum circulus æſtiuus à reliquo corpore diuidit. Ipſe manu dextra arcticū circulum tangit: dextro pede caput aurigæ premere uelut currens uidetur. Idem occidens ſagittario & capricorno exorto, inclinatus caput uerſus, cū ariete & tauro rectus exoritur. Habet autem in utroque humero ſtellam unam. In manu dextra clare lucentē unam, qua falcem tenere dicitur, quo telo Gorgonam interfecit. In ſiniſtra alteram, qua caput Gorgonis tenere exiſtimatur. Habet præterea in uentre ſtellam unam. In lumbis alterā. In dextro femore unam. In genu unā. In tibia unam. In pede unā obſcuram. In ſiniſtro femore unam, & in genu alteram. In tibia duas. In ſiniſtra manu quod Gorgonis caput uocatur, ſtellas quatuor. Omnino eſt ſtellarum XVIIII. Caput eius & falx ſine ſideribus apparent. Hunc Aratus cum diceret inter ſidera κεχονισμένον figuratū, acceperunt complures, cum puluerulentum dicere: quod minime cōuenit, poſſe inter ſidera etiam puluerulentum accipere: quod ſi eſſet, dignior erat Orion, cui idem aſcriberetur. Primum, quod aſſidue eſt uenatus, & ſemper in terra fuit: deniq; adhuc inter ſidera uenari uidet: Perſeus autem qui aſſidue uolaret, non poteſt puluerem habere. Quid igitur? Cum uellet Aratus eū currentem obſcure ſignificare, uſus Aetolorū conſuetudine, cum κεχονισμένον dixit: Aetoli enim cū uolunt aliquem decurrere ſignificare, κεχονιῶσθαι dicunt, id quod Aratus uoluit demōſtrare, non ut illum uolantē aſſidue, puluerulentum dicat, quod à multis perperam eſt intellectum.

♈ ♊

DE HENIOCHO.

HEniochus autem circulo æstiuo genuum fine, præterea ab humero siniſtro usq; ad zonam diuiditur ab eo, quem supra lacteum orbem diximus. Huius dexter pes tauri siniſtro cornu stella coniungitur una, manibus ut lora tenens figuratur. Cuius in humero siniſtro capra, in manu autem duo hœdi duabus stellis figurati dicuntur. Totus autē pedibus Perſei subiectus, caput habens contra ursæ maioris aspectum. Hic occidere sagittarii & capricorni exortu uidetur: exoriri autem, ophiucho & Engonasi occidente. Præterea habet in capite stellam unam. In utroque humero unam, sed in siniſtro clariorem, quæ capra uocatur. In utroque cubito unam. In manu duas, quæ hœdi appellantur, stellis propè occidentibus facti.

DE OPHIVCHO.

Ophiuchus inclinatus à capite, ut qui resupinari uidetur, manibus anguem tenere figuratus. Huius autem humeri æstiuo circulo diuiduntur à reliquo corpore. Ipse genuum fine ab æquinoctiali circulo terminatur, pede sinistro premens oculos, dextro autem testudini scorpionis innixus. Anguis autem qui ab eo tenetur, prope extremo ore coronam cõtingit, medium ut præcingens ophiuchum, à cauda breuior q̃ superiori corpore, quà manus siniſtra ipsius signi figuratur, ita tamen, ut extrema cauda circulũ æquinoctialem cum aquilę cauda iungat. Occidẽs exortu geminorum, cancri & leonis, peruenit ad terram: exoriens autem cum scorpione & sagittario, apparet. Hic habet in capite stellam u-

nam. In utroq; humero ſingulas. In ſiniſtra manu tres. In dextra quatuor. In lumbis duas. In utroq; genu ſingulas. In dextro crure unam. In utroq; pede ſingulas, ſed clariorē in dextro. Ita eſt omnino ſtellarum XVII. Anguis autem habet in ſummo capite duas. Sub capite quatuor uno loco omnes. Ad manum ipſius ophiuchi ſiniſtrā, duas, ſed quæ maxime ad corpus accedit, clariorem. Et in dorſo anguis ad ipſam corporis coniunctionem quinq;. Et in prima curuatura caudę quatuor. In ſecunda caput uerſus ſtellas ſex. Ita eſt omnino, trium & uiginti ſtellarum.

DE SAGITTA.

Sagitta inter duos circulos, æſtiuum & æquinoctialem, ſuper aquilæ ſignum poſita, diuiditur ab eo circulo, qui utriq; polo ſubiectus ad cancrum & capricornum peruenit. Huius acumen ad equi pedum regionem ſpectat: altera pars ad humeros ophiuchi tēdit. Hæc occidit uirginis ortu: oritur autem cum ſcorpione. Habet omnino ſtellas quatuor, quarum una in principio materiæ, altera in medio, duę reliquę in eo loco, quo ferrum ſolet affigi, diuerſæ uidentur.

♑ ♒

C. IVL. HIGINI,
DE DELPHINO.

DElphin non longe ab aquilæ ſigno figuratus, in curuatione caudæ nouiſſimæ tangit æquinoctialis circuli circunductionem, capite penè contingens equi Pegaſi roſtrũ. Hic exoritur cum ſagittarii poſteriori parte. Occidit autem cum uirgo exorta eſt à capite. Habet autẽ in capite ſtellas duas. Supra caput ad ceruicem uerſas duas. Ad ea quæ in uentre uelut pennæ uidẽtur, habet ſtellas tres. In ſcapulis unam. In cauda duas. Omnino eſt ſtellarum nouem.

DE AQVILA.

AQuila alâ dextra non multum extra circulum æquinoctialem prodire, siniſtra autem non longe à capite ophiuchi figurata uidetur. Præterea roſtrum eius à reliquo corpore diuidit circulus quem ſupra diximus à cãcro ad capricornum peruenire: media autem finitur ab eo quem ſupra lacteum orbem demonſtrauimus eſſe. Hæc occidit occidente leone. Exoritur autem cum capricorno, habẽs in capite ſtellam unam. In utraque penna unam. In cauda unam.

DE EQVO.

EQuus arcticũ circulum ſpectãs, pedibus æſtiuo orbi niti, extremo ore caput delphini tangere uidetur, aquarii manũ dextrã ceruice ſua coniungens, & utriſq; piſcibus clauſus, quos in duodecim ſignis poſtea demonſtrabimus. Huius in ſtellis corpus apparet uſq; ad umbilicũ deformatũ: qui occidit cum piſce de duobus primo, qui ſupra tergum eius eſt fixus. Exoritur cum aquario toto, & cum piſce cum quo & occidit manus aquarii dextra. Hic habet in roſtro ſtellas duas obſcuras. In capite unam. In maxilla unã. In utriſq; auribus ſingulas. In ceruicibus quatuor obſcuras, ſed maxime lucet quæ capiti proxima apparet. In humero claram unã. In pectore unam. In interſcapilio unã. In umbilico nouiſſimã unam, quæ Andromedæ caput uocatur. In genibus utriſq; ſingulas. In utriſq; poplitibus ſingulas, ita eſt omnino ſtellarum XVII.

DE DELTOTO.

DEltoton autē ut triangulū deformat, æquis lateribꝰ duobus, uno breuiori, ſed prope æquali reliquis, inter æſtiuū & æquinoctialem circulū ſupra caput arietis non longe ab Andromedæ dextro crure, & Perſei manu ſiniſtra collocatum: cum ariete toto occidens, exoriens autē cum eiuſdē dimidia priori parte. Habet ſtellam in unoquoq; angulo unam.

Nunc protinus XII. ſignorum figurationem dicemus, quorum eſt princeps aries.

DE ARIETE.

ARies in æquinoctiali circulo conſiſtens, caput ad exortū habens conuerſum, occidens à primis pedibus, & exoriēs caput infra triangulū, quod & ſupra diximus, tenens collocatum, pedibus prope caput contingens piſtricis. Habet autem in capite ſtellam unam. In cornibus tres. In ceruice duas. In pede priori de primis unam. Interſcapilio quatuor. In cauda unā. Sub uentre unam. Tres in lumbis. Vnam in pede poſteriori. Omnino eſt ſtellarum XVII.

C. IVL. HIGINI,
DE TAVRO.

TAurus ad exortum signorum dimidia parte collocatus, ut incipere genu ac defigere ad terram uidetur, caput eodem habens attẽtum. Genua eius à reliquo corpore diuidit circulus æquinoctialis. Cornu siniſtro, ut ſupra dixi mus, coniungitur cum siniſtro pede eius qui auriga appellatur. Inter huius finitionem corporis & arietis caudam, ſtellæ ſunt ſeptem, quas Vergilias noſtri, Græci autẽ πλειάδας appellauerũt. Hic auerſus oritur & occidit. Habet autẽ in cornibus ſingulas ſtellas, ſed in siniſtro clariorem. Vtriſq; oculis ſingulas. In fronte media unam. Ex quibus cornua naſcuntur ſingulas, quæ ſeptem ſtellæ, Hyades appellantur: & ſi nonnulli quas duas diximus nouiſſimè, ſtellas negauerunt eſſe, ut omnino Hyades eſſent quinq;. Præterea in siniſtro genu habet ſtellã unam, & ſupra ungulam unam. In dextro genu unam, & interſcapilio tres, nouiſſimã earum cęteris clariorem. In pectore unam. Quę ſunt omnino præter Vergilias, XVIII.



♉

DE GEMINIS.

GEmini ab aurigæ dextra parte ſupra Oriona collocati uidentur, ita tamen, ut Orion inter taurum & geminos ſit conſtitutus. Capita eorum diuiduntur à reliquo corpore circulo eo, qui æſtatem definire ſupra eſt dictus, ut cõplexa corpora inter ſe tenentes. occidunt directi à pedibus: exoriũtur autẽ inclinati ut iacentes. Sed is qui cancro eſt proximus, habet in capite ſtellam unam claram. In utriſq; humeris ſingulas claras. In dextro cubito unam. In genibus utriſq; ſingulas. In pedibus utriſq; ſingulas. Alter autẽ in capite unam. In ſiniſtro humero alteram. In dextro alteram. In utriſq; mammis ſingulas, & infra ſiniſtrũ pedem unã quæ ἡνίοχοι appellatur.

II ♋ h

C. IVL. HIGINI, DE CANCRO.

Cancer. Hunc mediū diuidit circulus æſtiuus ad leonē & ad exortus ſpectantē, paululū ſupra caput hydræ collocatum, occidentē & orientem poſteriori corporis parte. Hic autem habet in ipſa teſta ſtellas duas, quæ uocantur, de quibus ante diximus. In dextris pedibus ſingulas obſcuras. In ſiniſtro primo pede duas, & in ſecundo duas obſcuras In tertio unam In quarto primo unam obſcuram. In ore unam. In ea quæ chela dexterior dicitur, tres ſimiles, nō grandes. In ſiniſtra ſimiles duas. Omnino eſt ſtellarum XVII.



DE LEONE.

LEo ſpectãs ad occaſum ſupra corpus hydræ, à capite quà cancer inſtat, uſq; ad mediam partem eius conſtitutus, medius ęſtiuo circulo diuiditur, ut ſub ipſo orbe priores pedes habeat collocatos: occidens à capite & exoriens. Hic habet in capite ſtellas tres. In ceruicibus duas. In pectore unam. Interſcapilio tres. In media cauda unã. In extrema alterã. Sub pectore duas. In pede priore unam clarã. In uentre claram unã, & infra alterã magnã. In lũbis unã. In poſteriori genu unã. In pede poſteriori unã claram. Ita omnino eſt ſtellarum XVIIII.

Ω

mp

C. IVL. HIGINI,
DE VIRGINE.

VIrgo infra pedes Bootis collocata, capite posteriorē partē leonis, dextra manu circulū æstualē tangit: ac inferiorem partē corporis supra coruum & hydrę caudā habere perspicitur, occidēs capite prius q̄ reliquis mēbris. Huius in capite est stella una obscura. In utrisq; humeris singulę. In utrisq; pennis binæ, quarum una stella quæ est in dextra penna ad humerū defixa, προτρυγητὴς uocatur. Prętera habet in utrisq; manibus singulas stellas, quarū una quę est in dextra manu, maior & clarior cōspicitur. In uestę autē habet passim dispositas stellas septē. In utrisq; pedibus singulas. Ita est omnino stellarum XVIII.



DE SCORPIO.

SCorpius. Huius prior pars quæ chelæ dicũtur ita premũ tur ab æquinoctiali circulo, ut eũ ſuſtinere uideãtur. Ipſe autẽ pedibus ophiuchi, de quo ſuprà diximus, ſubditus, extrema cauda circulũ hyemalẽ cõtingere uidetur: neq; longe eſt ab eo ſigno, quod pro hoſtia Centaurus ferre proſpicitur. Occidit autẽ inclinato corpore, exoritur autem erectus à chelis. Hic habet ſtellas in his quæ chelæ dicũtur, in unaquaq; earũ binas, ex quibus primæ ſunt clariores. Præterea habet in frõte ſtellas tres, quarũ media eſt clariſſima. Interſcapilio tres. In uentre duas. In cauda quinque. In acumine ipſo quo percutere exiſtimatur, duas. Ita eſt omnino ſtellarum XVIIII.



C. IVL. HIGINI, DE SAGITTARIO.

Agittarius autē ſpectās ad occaſum cētauri corpore figuratur, uelut mittere incipiēs ſagittas, à pedibus uſq; ad humeros in hyemali circulo collocatus, ita ut caput ſolū eius extra eū circulū quē ſuprà diximus, apparere uideatur: cuius arcus lacteo circulo medius diuiditur. Ante pedes huius eſt quędā corona ſtellis effecta, de qua prius diximus. Hic pręceps occidit, exoritur directus. Habet autē in capite ſtellas duas. In arcu duas. In ſagitta unā. In dextro cubito unā. In manu priori unā. In uētre unā. Interſcapilio duas. In cauda unam. In priori genu unā. In pede unā. In inferiori genu unā. In poplite unā. Omnino eſt ſtellarū XV. Corona autem centauri eſt ſtellarum VII.

DE CAPRICORNO.

Capricornus ad occasum spectans,& totus in zodiaco circulo deformatus,cauda & toto corpore medius diuiditur ab hyemali circulo, suppositus aquarii manui sinistræ: occidit præceps,exoritur autem directus.Sed habet in naso stellam unam.Infra ceruicem unam.In pectore duas.In priore pede unam. In priore eodem alteram. Interscapilio septem. In uentre quinq;.In cauda duas.Omnino est stellarum uiginti.

C. IVL. HIGINI,
DE AQVARIO.

AQuarius pedes habet in hyemali circulo defixos, manū autē siniſtrā uſq; ad capricorni porrigens tergus, dextra iubā Pegaſi prope contingēs, ſpectat ad exortū. Qui cum ita ſit figuratus, neceſſe eſt eum corpore prope reſupina to uideri. Effuſio aquę, peruenit ad eum piſcē qui ſolitarius figuratur, de quo poſterius dicemus. Sed aquarius & occidit & exorit capite prius q̄ reliquis membris. Hic habet in capite ſtellas duas obſcuras. In utriſq; humeris ſingulas magnas. In ſiniſtro cubito unam grandē. In manu priori unam. In utriſq; māmis ſingulas obſcuras. In lumbo interiori unam. In utriſque genibus ſingulas. In dextro crure unam. In utriſq; pedibus ſingulas. Omnino eſt ſtellarū quatuordecim. Effuſio aquæ cum aquali ipſo eſt ſtellarum triginta. Sed in his omnibus prima & nouiſſima clara.

DE PISCIBVS.

PIsces. Horũ alter notius alter boreus: ideoq; quòd unus eorum qui boreus dicitur, inter æquinoctialem & æstiuũ circulũ sub Andromadæ brachio collocatus, & arcticũ polũ spectans constituit: alter aũt in zodiaco circulo extremo sub scapulis equi, nõ lõge ab æquinoctiali circulo collocatus, spectans ad occasum. Hi pisces quibusdam stellis ut lineola ab arietis pede primo coniunguntur: quorum inferior ante occidere & exoriri uidetur. Habet autẽ stellas XXXIII. Et boreus omnino XII. Coniũctio eorũ habet ad aquilonẽ spectãs stellas III. ad alterã partẽ tres. Ad exortũ tres. In cõmissura tres. Omnino XII. Horũ cõiunctionẽ, quæ à pede arietis primo notatur, Aratus græce σύνδεσμον ὑπερθέντα, Cicero nodum cœlestem dicit: qui utriq; uolunt significare, eum nodum nõ solum piscium, sed etiã totius sphæræ esse, quo enim loco circulus ab arietis pede μεσημβρινὸς dicitur, qui meridiem significet: & quo loco is circulus mesembrino coniungitur, & transit æquinoctialem circulum, in ipsa coniunctione circulorum nodus piscium significatur: quare eũ non modo piscium, sed etiam cœlestium nodum appellauerunt.

C. IVL. HIGINI,
DE PISTRICE.

PIstrix à media cauda diuiditur ab hyemali circulo ſpectans ad exortum, roſtro propè poſteriorem arietis pedem iungens: huius priorem partem corporis quæ ſpectat ad exortum, propè alluere flumē Eridanus uidetur. Hæc occidit exorto cancro & leone: exoritur autem cum centauro & geminis. Sed habet in extrema cauda ſtellas duas obſcuras. Ab eo loco uſq; ad reliqui corporis curuaturā, quinq;. Sub uentre ſex. Omnino ſunt tredecim.



DE ERIDANO.

ERidanus à siniſtro pede profectus Orionis, & perueniens uſq; ad piſtricem, rurſum diffunditur ad leporis pedes, & protinus ad arcticum circulum tendit. Huius figurationem hyemalis circulus diuidit ab eo loco quo propè coniungitur ceto. Hic ſcorpione & ſagittario exorto occidere: exoriri autem cum geminis & cancro uidetur. Habet ſtellas in prima curuatura tres. In ſecunda tres. Item in tertia uſq; ad nouiſſimam ſeptem. Omnino ſtellarum eſt tredecim.

C. IVL. HIGINI,
DE LEPORE.

LEpus autem infra siniſtrum pedem Orionis per hyemalem circulum fugiẽs,& ab eo inferiori parte corporis diuiſus,occidit ſagittario exorto,oritur cum leone. Habet aũt ſtellas in utriſq; auribus ſingulas. In corpore paſſim diſpoſitas duas. In pedibus prioribus ſingulas. Ita ſunt omnino ſex.

DE ORIONE.

ORion. Hunc à zona & reliquo corpore æquinoctialis circulus diuidit, cum tauro decertantem collocatũ, dextra manu clauam tenentem, & incinctum enſe, ſpectantem ad occaſum, & occidentem exortu ſcorpionis poſteriori parte, & ſagittario exoriente: cum cancro autem toto corpore pariter exurgentem. Hic habet in capite ſtellas tres claras. In utriſq; humeris ſingulas. In dextro cubito obſcuram unam. In manu ſimilem unã. In zona tres. In eo quo gladius eius deformatur, tres obſcuras. In utriſq; genibus ſingulas claras. In pedibus ſingulas. Omnino XVII.

CAnis leporem fugientem persequens, posterioribus pedibus diuiditur hyemali circulo, pedem dextrum Orionis penè suo capite contingens, capite ad occasum spectãs, sed caput ad æquinoctialem tendit: occidens oriente sagittario, exoriẽs aũt cum cãcro.

Hic canis habet in lingua stellam unam, quę canis appellatur. In capite autem alteram, quam nonnulli Sirion appellãt, de quo prius diximus. Prętęrea habet in utrisque auribus singulas stellas obscuras. In pectore duas. In pede priori tres. Interscapilio tres. In sinistro lumbo unam. In pede posteriori unam. In pede dextro unam. In cauda quatuor. Omnino, XVIII.

DE PROCYONE.

ΠΡοκύων. Hic in lacteo circulo defixus, pedibus æquinoctialem circulum tangit. Spectat ad occasum, ut inter geminos & cancrum cõstitutus: qui quòd ante maiorem canem exoritur, πρoκύων est appellatus. Hic autẽ occidit exorto capricorno, exoritur cum leone. Sed omnino est stellarum trium.

DE ARGO.

ARgo. Huius puppis hyemalem circulum & maioris canis caudam contingēs inferiore parte, nouissime nauis inclinata, antarcticum circulum tangit. Occidens sagittario & capricorno exorto ut in mari collocata, exoriens cum uirgine & chelis. Hæc habet in puppi ad singula gubernacula, ad primum stellas quinq;. Ad alterum quatuor. Circum carinā quinque, & sub reiectum quinq;. Ad malum quatuor. Ita tota est stellarū uigintriū. Quæ quare nō sit tota in mundo collocata, prius diximus.

C. IVL. HIGINI, DE CENTAVRO.

CEntaurus. Hic ita figuratur, ut in antarctico circulo niti pedibus, humeris hyemalem sustinere uideatur: capite propè caudam hydræ coniungens: hostiam dextra manu tenēs supinam, quæ pedibus & extremo ore circulum hyemalem tangit, inter eum & antarcticum orbem collocata. Centauri autē crura à reliquo corpore diuidit circulus, qui lacteus appellatur. Hic spectans ad ortus signorum, totus occidit cum aquario &

piſcibus exortis. Exoritur autem cum ſcorpione & ſagittario. Habet autē ſtellas ſupra caput tres obſcuras. In utriſq; humeris ſingulas claras. In cubito ſiniſtro unā. In manu unā. In medio pectore equino unā. In prioribus poplitibus utriſq; ſingulas. Interſcapilio quatuor. In uentre duas claras. In cauda tres. In lumbo equino unam. In genibus poſterioribus ſingulas. In poplitibus ſingulas. Omnino ſunt XXIIII. Hoſtia autē habet in cauda duas. In pede de poſterioribus primo unam. In utriſq; pedibus unam. Interſcapilio unam claram, & in priore parte pedum unam infra alteram. In capite tres diſpoſitas. Omnino ſunt numero X.

DE ARA.

ARa antarcticum circulum prope tangēs, inter hoſtiæ caput & ſcorpionis caudam extremam collocatur. Occidēs arietis exortu, exoriens cum capricorno. Hæc habet in ſummo cacumine circuli ubi formatur, ſtellas duas, & in imo alteras. Et ita eſt omnino ſtellarum IIII.

k



C. IVL. HIGINI, DE HYDRA.

HYdra triũ ſignorũ lõgitudinem occupans, cãcri, leonis & uirginis, inter æquinoctialẽ circulum & hyemalem collocatur, ita tamẽ, ut caput eius cõtendat ad ſignũ id quod προκύων uocat, & totius hydræ propè quarta pars inter æſtiuũ & æquinoctialem circulũ uideatur. Cauda autẽ extrema pene caput centauri tegẽs, ſuſtinet in dorſo coruum, roſtro corpus eius tangentem, & toto corpore ad craterem tendẽtem: qui ſatis longo diſſidente interuallo, prope interleonẽ & uirginem conſtitutus uidet, inclinatior ad caput hydræ, quæ occidit aquario & piſcibus exortis: oritur autẽ cum his ſignis de quib⁹ ſupra diximus. Habet autem in capite ſtellas tres. In prima à capite curuatura, ſex, ſed earum nouiſſimam claram. In ſecunda curuatura tres. In tertia IIII. In quarta duas. In quinta uſq; ad caudã

octo,omnes obscuras, ita fiunt numero uigintisex. Coruus autē habet in gutture stellam unam, in pennis duas, infra pennam caudam uersus duas,in utrisq; pedibus singulas:omnino sunt septē. Supra primam à capite curuaturam crater positus,habet in labris stellas duas. Infra autem ansas duas obscuras. In medio cratere duas. Ad fundum duas.Omnino sunt octo.

DE PISCE NOTIO.

PIscis autem qui notius dicitur,inter hyemalē & antarcti cum circulum media regione collocatus,spectare ad exortum uidetur inter aquarium & capricornum,ore excipiens aquam quæ funditur ab aquario. Hic occidit oriente cancro:exoritur autem cum piscibus. Sed est stellarum omnino duodecim.

Quę ad figurationem siderum pertinent,ad hunc finem nobis erunt dicta,reliqua protinus dicemus.

C. IVL. HIGINI,
RATIO SPHAERAE.

QVoniam in initio sphæræ circuli quinq; quomodo efficerentur ostẽdimus, neq; eos corpore siderũ innotauimus: & si duo nouissimi nihil ad solis cursum pertinẽt, hoc est arcticos & antarcticos, de mediis dicemus tribus. Sed quoniã Aratus quatuor circulis sphærã plurimũ ualere dicit, neq; eorum apte quenq̃ demonstrat, uoluntatẽ nostrã apertius ostendemus. Et quemadmodum in initio fecimus, à boreo polo sumemus exordiũ.

IGitur æstiuum circulũ unum de quatuor esse dicemus, qui θερινὸς τροπικὸς uocatur, quo circulo æstatem confici demonstrauimus: & si nõ nemo dubitat, quare non utriq; circuli, hoc est æstiuus & hyemalis uno noĩe appellentur: ideo quod quẽ nos æstiuũ diximus, non nullis hyemalis fiat: & quo circulo hyemem confici diximus, eo circulo aliis æstas sit. Quod si uoluerint intelligere id ad nostras collationes mundi esse demonstratum, qui inter æstiuum circulum & arcticum sumus constituti, non ad illorum sphæram, qui ab hyemali circulo antarcticũ habitantes, nobis antipodes dicuntur, facilius ad nostram accesserint uoluntatem. Si quis enim uoluerit eorum quos antipodas diximus, qui inferiore à nobis circulo cõstituti uident, sphæram facere, non immerito nostrum hyemalem sibi æstiuum circulũ finxerit: Aut si quis scriptorum eorum mentionem faciens, obscure uoluerit antipodas demõstrare, & dixerit quibus in capricorno æstas summa, aut in cancro hyems maxima fiat, non imperita ratione acutissime dixisse uidebitur. Quodcunq; enim nostris circulis contrariũ dixerit, id illis erit rectum. Sed ne longiore sermone præter consuetudinem utamur, ad inceptum reuertamur.

IN æstiuo circulo, de quo primum dicere instituimus, hęc signa siue partes eorum perspiciuntur: Capita geminorum, aurigæ genu utrunq;, uel sinistrũ Persei crus, & humerus sinister. Andromeda autem à pectore sed manu sinistra diuiditur. Atq; ita euenit, ut caput eius cũ toto pectore & manu dextra, uideatur esse inter æstiuũ & æquinoctialem circulum: reliquum autem inter æstiuũ & arcticũ finẽ. Præterea in eodẽ æstiuo circulo pedes equi Pegasi uidentur positi, & caput à reliquo corpore diuiditur oloris, & alæ sinistrioris ut uolãtis, pars nõ magna. Ophiuchus humeris, ut circulum sustinere uidetur. Virgo prope hunc contingẽs à capite, inter hũc & æquinoctialẽ circulos collocata est, ut fulgens ad austrũ. Leo à pectore ad lũbos diuidi

tur, ut caput eius & corporis ſuperior cruribus pars, inter hunc & arcticum circulum uideatur: inferior autem pars, inter æſtiuũ & æquinoctialem circulum. Cancer autẽ ſic diuiditur medius, ut inter duos oculos eius circulus traiectus exiſtimet. In his ſignis, & hoc (ut ante diximus) circulo cũ uehitur ſol, euenit nobis qui hac inclinatione mũdi utimur, ut ſint diei de partibus octo, partes quinq;, noctis aũt tres. Neq; ita tamẽ ut ex horologiis, ſed ex ſphæræ ratione. Cũ enim ſphærã ita conſtitueris, ut circulus eius qui arcticus uocat, ſemper appareat, nunquam autem antarcticus exoriatur, atq; ita ſphæra eſt conſtituta: ſi uoles æſtiuum circulum diuidere in partes octo, ex his inueni es partes V. in ſphæra apparere, tres autem infra tanquam ſub terra eſſe. At aliquis dixerit, cur ſphæræ circulos diuidamus in partes octo potius q̃ duodecim, aut quot libuerit alias partes? Hic nõ ſphærã, ſed ſe fallere hac ratiõe inueniet porro arbitror. Si enim ita fecerit ex ęſtiuo circulo partes XII. ex his partes VII. & dimidiũ partis apparere: quatuor aũt & dimidiũ ſub terra inueniet eſſe. Itaq; euenit, ut cũ ad octo partes addita dimidia ſit, ſimili ratiõe ad partes quatuor accedit pars dimidia, & ſiãt ſupra terrã partes ſeptẽ, & dimidiũ partis: reliquũ aũt ſub terra quod eſt partes quatuor & dimidiũ. Igitur oportet intelligere, ut nõ in minutis partibus & dimidiis fiat, ſed certis numeris cõficiat, ut euenit in partibus octo. Præterea quoniã ſphæra diuiſa in partes triginta euenit, ut ab æſtiuo ad hyemalẽ ſint partes octo: nimirũ certe eos circulos diuidemus in partes octo. Præterea quoniã ab æſtiuo circulo ad æquinoctialem ſunt partes quatuor de XXX. Et rurſus ab ęquinoctiali circulo ad hyemalẽ de partibus triginta partes quatuor, & ita nihilominus ęquinoctialis ipſe per ſe circulus medius diuiditur, ut dimidia pars eius ſit ſub terra de partibus octo partes quatuor, & totidem ſupra, & tota ratio ad octauã partem perueniat: nõ dubiũ eſt, quin recte diuidatur in partes octo. Præterea cum ſol per hos circulos currens iter annuum cõficere uideatur, & ab omnium ſignorũ octaua parte, ut poſterius dicemus, incipiat exoriri, ut ad aliud ſignũ tranſire, neq; ulla alia parte ſigni utatur, recte ipſi quinq; circuli diuiduntur in partes octo. Præterea cum ſeptem ſidera ad eundẽ ſtatum reuertantur, quibuſdam placuit, ut cuiuſmodi dies hodiernus fuerit in ſolis aut lunæ tempeſtate, eiuſdem modi octauo anno ſit futurus, uere ſphæra quoq; diuidetur in partes octo. Præterea cũ uideamus octauo quoq; die eiuſdem ſideris horã primam, aut quamlibet deniq;

esse, ut cuius hodie fuerit hora prima, eiusdē octauā quoq; futuram: uerissimum est ipsam quoq; sphæram unde horæ sumuntur, diuidi in partes octo. Sed ne reliqua prætermittamus in hoc occupati, ad propositum reuertamur.

SEcundus ab æstiuo æquinoctialis est circulus, in quo hæc signa & partes eorum perspici possunt: Aries totus omnibus pedibus innixus uidetur. Hunc autem Aratus omnium siderum celerrimū esse demonstrat: etiam minori arcto, quæ breui spatio uertitur: præstare id quod uelit esse sic poterimus uel facillime intelligere. Cum sit enim maximus circulus æquinoctialis in sphæra, in eoq; aries ut affixus uideatur, quomodocunq; fuerint figuræ corporum collocatæ, ut ad eundem locum perueniant, necesse est semel uerti sphæram. Quod cum fiat, & aries in maximo circulo, & eodem tempore ad locum quo reliqua sidera perueniant, necesse est eum celerrimum dici. Sed nos ad circuli effectionem ueniemus, & reliqua dicemus. In eodē tauri genua ut fixa perspiciuntur, etsi nonnulli ita finxere, ut uno genu, hoc est dextro nixus, sinistro prope cōtingere uideatur: de hoc in medio relinquemus. Sed in eodem circulo zona Orionis, ut ipso circulo præcinctus existimetur. Hydra flexu à capite primo ut ceruicibus erectis cancrum contingere uideatur: & ex inferiore corpore hydræ crater cum coruo uelut fixus esse circulo conspicitur. Item paucæ stellæ chelarum, eodē adiunguntur. Ophiuchi genua eodem circulo à corpore reliquo diuidūtur. Aquila sinisteriore penna pene eū cōtingēs figurata est. Eodemq; circulo caput Pegasi cum ceruicibus nititur. His corporibus signorū æquinoctialis circulus finitur. Quo sol cum peruenit, bis uno anno conficit æquinoctium, hoc est in ariete & chelis: in hac enim parte sphæræ & uer & autumnus cōfici existimatur: ita ut uer sit in ariete, autumnus in priore parte scorpionis, quod signum nonnulli libram dixerunt. Per hunc circulum transiēs sol ab ariete ad chelas, efficit sex mensium diem his locis, qui intra arcticum uidētur orbem: noctem autē his, qui antarctico circulo sunt clausi: quare magis his locis nemo potest durare. Et rursus ab autumno usq; ad uer, hoc est à chelis usque ad arietem perueniens, efficit his locis sex mēsibus perpetuis diem, in quibus ante noctem demonstrauimus: econtrario autem noctem his, qui boreo polo sunt proximi: sed de hoc ante diximus: neque enim mirum est hac collatione sphæræ id euenire. Erecto enim boreo polo, neque unquam occiden-

te euenit,ut corpora quæq;,quæ ei proxima sunt circulo sero occidere uideãtur. Id ex hoc intelligere licebit: Cum in his partibus sphæra habitetur,quæ pars est ab æstiuo circulo ad orbem qui arcticos uocatur,& de arctico circulo,hoc est de duabus ursis & dracone, caput draconis maxime niti ipso circulo uideatur,ita ut is qui Engonasin uocatur,inter æstiuũ & arcticum locatus,caput draconis premere intelligatur:quicunq;,ut ante diximus, ad ipsum caput draconis habitãt, ita longo die utuntur, ut ne tertia quidẽ horæ pars in unaquaq; nocte his obtingat. Itaq; Aratus ait:

Κείνα γὰρ ὑψηλὸν τῇ τέχνῃ ἔχει πῆχυν ἄκρου
μέσσης τοι δύεται τε καὶ ἀντέλλει ἀλέγυνσι.

Idem Cicero dicit:

Quod caput hic paulum sese subitoq; recondit,
Ortus ubi atq; obitus,parte admiscentur in una.

De hoc Homerus quoq; in Odyssea ita breuem noctem esse dicit, ut pastores cum alii exigant,alii reducant pecus,possit alius alium audire,cum unus propter noctem pecus reducat,alter propter lucem exigat: sed nos ad propositum reuertamur.

TErtius ab æstiuo circulo qui hyemalis uocatur,his corporibus & eorum partibus finitur: nam medium capricornum diuidens & pedes aquarii,per caudam pistricis ut traiectus uidetur. Diuidit etiã leporem fugientem à cruribus,& quadam parte corporis, & canis sequẽtis pedes,& nauis ipsius puppim, cẽtauriq; ceruices à reliquo corpore diuidit. Scorpionis extrema cauda,quod acumen uocatur,eodẽ circulo cõiungitur. Sagittarii arcus eodem orbe deformatur. Huius orbis infra terram sunt de partibus octo partes quinq;, supra terram autem tres. Itaq; fit breuior dies nocte,ut ante demonstrauimus.

QVartum circulum zodiacum esse Aratus demõstrat,de quo ante diximus, & posterius dicemus. Sed Aratus non ut reliqui astrologi ab ariete duodecim signa demonstrat: hoc est uere incipiente,sed à cancro,hoc est ipsa æstate. Nos autem(quoniam ab ariete incipimus)ita protinus dicemus. In hoc enim circulo sic duodecim signa figurantur: aries, taurus,gemini: in his tribus signis uer demonstratur,& æquinoctium uernum: cancer,leo,uirgo: in his signis maxime æstas conficitur: sed sol incipit à uirgine iam transire ad æquinoctium autumnale: Chelæ,scorpius,sagittarius: in his tribus signis autumnus efficitur & æquinoctium autumnale: capricornus,aquarius,

piſces: in his tribus ſignis ſol hyemẽ conficere demonſtratur. Etſi nõ ſunt ſigna XII. ſed XI. ideo quod ſcorpio magnitudine ſui corporis duorũ locum occupat ſignorũ, è quibus prior pars chelæ, reliqua aũt ſcorpio uocatur. Priores enim aſtronomici cũ oẽs res ad duodecim partes reuocarent, ut menſes, & horas, & latitudinem ſignorum: itaq; & ſigna, per quæ res omnes ſignificantur, duodecim uoluerunt eſſe.

SEd quoniam ſeptem circulis in proœmio propoſitis, de quatuor circulis mentionem fecimus: ne ſeptem ex ordine demonſtratis, aliquid à nobis obſcurius dictum uideatur, de ſeptem ſuperant tres, arcticus, antarcticus, & ille qui lacteus uocatur. Itaq; de his dicere incipiemus. Arcticon igitur orbem ſuſtinet caput draconis cum reliqua corporis parte: Cepheus autem pectore ſuo circulum iungit: eodem orbe nituntur & pedes maioris urſæ, præterea ſedile Caſſiopeiæ cum pedibus eius nititur ipſi circulo ſiniſtro pede, genuq; dextro: & pedis prioribus digitis eius qui Engonaſin uocatur: & manus ſiniſtra bootis exteriori parte circuli peruenit cõiuncta. Ad antarcticon autẽ circulum peruenit extrema nauis Argo, pedesq; cẽtauri poſteriores adiunguntur: priores autem prope contingere, & ara uidetur prope affixa, Eridaniq; fluminis extrema ſignificatio.

RElíquum eſt nobis diffinire quem ſupra lacteum orbem demõſtrauimus. Ipſe enim diuidit oloris extremam ſiniſtram pennã, quæ extra æſtiuum peruenit finem. Præterea trãſit manum dextram Perſei, & ab humero ſiniſtro aurigæ perueniens ſub manum eius dextram, & geminorũ genua, & pedes eius ſigni quod προκύων uocatur. Hic diuidens æquinoctialem & æſtiuum circulum, tangit extremum finẽ mali qui in Argo naue defixus uidetur: deinde rurſus reuertens, genua cẽtauri diuidit à reliquo corpore, & extremam caudam terminat ſcorpionis, & arcum medium ſagittarii, & aquilæ dimidiam partem, per eius tranſiens pennas.

QVoniam de huiuſce rebus expoſuimus ordine, mundi rationem & quemadmodum moueatur, protinus dicemus: & in duodecim ſignorum exortu, quæ deinde corpora conſequantur, & quæ perueniant ad occaſum. Conuenit nobis mundũ ab exortu ad occaſum uerti, ideo quod uidemus ſtellas exorientes ad occidentem conuerti. Sic enim primũ poterimus ſcire, qui ſint exortus, & q occaſus. Si quis enim noſtrũ aliquis aſtiterit contra exorientem ſolem, neceſſe eſt arctos nobis à ſiniſtris partibus eſſe. Cum id ita fiat, illud quoq; neceſ-

se est,ut omnia è dextris partibus exorta,in siniſtris occidere uideantur,de quo & ante diximus. Igitur cum uideamus ſtellas exoriri & occidere,neceſſe eſt mundū quoq; cum ſtellis uerti. Sed nonnulli aiunt nihilominus id euenire poſſe,ut ſi ſtante mundo,ſtellæ exoriantur & occidant,quòd fieri nō poteſt:Si enim ſtellæ uagæ feruntur,neq; mūdus ipſe uoluitur, non poſſunt corpora ſtellis figurata incolumia & certa permanere. Illud enim uidemus,in toto mūdo ſtellas erraticas eſſe quinq;,neque horum curſum quenquam poſſe diſſinire: Aratum ipſum quoq; negare, ſe difficiles eorū curſus interpretari poſſe. Quo modo igitur cū quinq; ſtellas nemo poſſit obſeruare, tot milia quiſquam poſſit obſeruare,niſi qui permittat, hic curſus ſtellarum poſſe eſſe,nihilominus figuras corporum permanere:quod ſi non eſt, tota ſphæra ad irritum reuocabitur. Quicunq; enim ſphęram fecerit,non poterit efficere,ut ſphæra ſtante nihilominus ſtellæ uerſentur. Illud etiam uidemus in extrema cauda draconis,ſtellam eſſe quæ in ſe uertatur,& in eodem loco conſtet. Quod ſi omnes ſtellæ uagæ feruntur, hanc quoq;loco moueri neceſſe eſt,quod nō euenit. Igitur neceſſe eſt mundum quoq;, non ſtellas uerti. Quoniam oſtendimus mundum cum ſtellis porius q̄ ſtellas per ſe uerti, nunc reliqua dicemus. Cum enim traditum ſit nobis,prius noctem quàm diem fieri, noctem dicemus umbram terræ eſſe,camq́; obſtare lumini ſolis. Etſi nonnulli dixerunt in ſolis curſu euenire,ut cum peruenerit ad eum locū,ubi occidere dicatur,ibi montium magnitudine à nobis lumen auerti ſolis, & ita noctem uideri. Quod ſi ita ſit, nimirum eclipſin ſolis uerius q̄ noctē dixerimus. Sed aliter eſſe ex ipſa ſphæra licebit intelligere. Horizon enim diuidens ea quæ uidentur, & quæ non apparent, ita definit ſphæram, ut ſemper ſex ſigna de duodecim in hemiſphærio uideā tur ſupra terram,ſex autē ſigna ſint infrà ſub terra. Igitur cum in uno eorū ſol nixus ferri uideatur, ab eo circulo qui horizon uocatur exoritur,itaq; incipit lucere. Cumq́; nihilominus ipſe mundus uertatur cum reliquis ſignis. Sed quo facilius intelligatur,ponamus ſolem eſſe in ariete,à quo duodecim ſigna inſtituim' numerare. Igitur cū ſol ſit in ariete exoriente,dies eſt:qui cum uertēte ſe mūdo peruenit ad eum circulum qui μεσημβρινὸς uocatur,efficit diei partē dimidiā. Sed ſic etiam facilius intelligitur,& rurſus ab eodem ariete incipiemus. Cum aries eſt exortus, præter eum hæc ſigna ſunt in ſuperiore hemiſphærio:Piſces,aquarius,capricornus,ſagittarius,ſcorpio. Horū cum tria

signa occiderint, hoc est, scorpius, sagittarius, capricornꝰ, exorta sunt tria quæ arietem sequuntur, hoc est taurus, gemini, cancer. Tum fieri dimidium diem necesse est, & arietem peruenire ad eum quem μεσημβρινὸν esse circulum supra diximus. Cum aũt cum reliquis signis ipse aries occidit, & exortus est leo, uirgo: tum chelæ exoriuntur, & in superiore hemisphærio ariete occidente uehuntur. Quæ cum occiderint, rursus aries exortus efficiet lucem. Sed ne in dubiũ ueniat, cum ariete occidente dixerimus chelas exoriri, quid de reliquis signis siue sphæra possit intelligi, sic iuenietur: In quocunq; signo sol fuerit exoriens, quodcunq; ab eo signo septimo loco fuerit, id noctu primũ exorietur, & ita conficiet cursum: Mũdus enim ipse semel in die ac nocte uerti uidetur. Itaq; euenit, ut ipsa signa duodecim semel in die ac nocte uideri possint. Sed ne solis cursus, de quibus postea sumus dicturi, potius quàm quod ante cœpimus enumeremus, ad inceptũ reuertemur. Diximus enim principium mundi esse noctem, deinde diem. Inter noctem & diem, præter umbrã terræ nihil interesse arbitramur. Sed quoniam signorum supra & corporum exortus instituimus, ad hoc perueniemus.

IGitur uertente se mundo per utroſq; polos & per axem, quẽ supra dimensionem sphærę diximus esse, & ita sphæra collocata, ut unus polus semper sit supra terram, alter nunquam exoriatur necesse est. Arctus quæq; & reliqua corpora, quę sunt in arctico circulo, nũquam occidere, reliqua autẽ omnia exoriri & occidere, quod inferiora sunt ab eo ciculo quẽ nunquam occidere diximus. Id enim posse fieri hæc edocet causa. Videmus caput extremum draconis, quod maxime arctico extra circulum prominet, quodã tempore ita occidere existimatur, ut exortus cum occasu permisceatur, ut & ante diximus. Si autem pars aliqua occidere de summo circulo uideatur, necesse est oĩa quæ sunt inferiora, exoriri & occidere. Igitur cõuenit nobis sidera uertẽte mundo exoriri & occidere. Præterea hac inclinatione cœli, cum unus circulus ita sit erectus ut nunq̃ occidat, alter ita sit terræ subiectus ut nunquàm exoriatur, quicũq; circuli fuerint in sphæra, hoc est ab æquinoctiali ad polum qui boreus appellatur, nullus erit eorũ qui non maiorem partem circunductionis habeat supra terram: Qui autem ab æquinoctiali fuerint circulo ad eum polum qui notius appellatur, omnes inferiorem partem maiorem habebunt quàm superiorem: & quãto magis ad polum notium accesserint, hoc maiorẽ par-

tem ſub terra habere perſpicietur: & quanto magis ad boreum finem uenerint, hoc maiorem partem circuli ſupra terram tenere uidebuntur. Quo enim erectior ipſe polus fuerit, hoc magis & circuli eius erectiores uidebunt. Quod cũ ita ſit, ſi duo ſidera ſimul fuerint orta, unũ ab arctico, alterum ab antarctico circulo, ſerius occidet id ſidus quod ab arctico circulo fuerit exortum: ideo quod maiorem habet circunductionem ſphæræ, quàm quod à notio polo eſt ortum. Si autem ſimul occiderint, ſerius exorietur id ſignum, quod ab antarctico fuerit exortum: ideo, quod tota illa collocatio mundi maiorem partem habeat ſub terra, quàm illa pars quæ in boreo polo eſt finita. Et non modo ſigna quæ ſunt ad arcticum finem collocata, præſtantibus corporibus, aut ſerius occidunt & antè exoriuntur, quàm ea quæ notio polo depinximus. Sed ipſa quoque corpora inter ſe diſſentiunt: ut ſi quod inferius ſit ſignum, & id cum ſuperiore exoriatur, tamen ſerius occidat. Econtrario itaque ſi qua ſunt ſigna ab æquinoctiali circulo ad notium polum figurata, horum ſi qua ſigna pariter exorta fuerint, citius occidũt quàm ea quę proxime polum accedunt. Euenit etiam, ut non modo quæ ſimul ſint exorta ſidera ex his ſerius occidant, quæ proxime arcticum circulum ſunt collocata, ſed etiam ſi qua eorũ ante exorta fuerint, quæ ſunt ad notium polum finita, tamen ante occidant quã ea corpora, quæ in boreo polo figurata eſſe ſupra demonſtrauimus: ideo, quod maiore circunductione ſphæræ utũtur ea corpora, quæ ab æquinoctiali circulo ad arcticum finem ſunt conſtituta. Igitur oſtendimus qua inclinatione mundi ſphæra ſit conſtituta. Nunc ad duodecim ſigna reuertemur: & quorũ exortu quæ de reliquis corporibus occidant aut oriãtur, cõmemorabimus, & initium ab ariete faciemus.

ARietis exortu, ſiniſtra pars Andromadę pronenire, ara autem occidere uidetur. Cum eodem ſidere exoritur & Perſei caput uſque ad umbilicum, ut dubium fore uideatur, zona eius utrum uſq; extremo ariete, an tauro primum exoriẽte prodeat ad lucem. Tauro autem exorto quæ prius dubia fuerunt, omnia ſunt certa. Nam & ara omnino occidit, & Perſeus totus eſt ortus, & aurigæ caput cum reliquo corpore duntaxat ad ſiniſtrum pedem uidetur, & piſtrix à cauda exoriẽs perſpicitur. Hoc ſigno primũ occidere Bootes uidetur: & ſi cum quatuor ſignis occidit, neq; tamen totus ad terrã poteſt peruenire: nã manus eius ſiniſtra circulo arctico cõcluſa, neq; oritur neque occidit.

Geminis exorientibus, tota iam piſtrix & fluminis Eridani prior

pars apparet,& Orion exoriri uidetur:Occidit autem ophiuchus à pedibus genuum fine. Cancer exoriens obscurat dimidiam partem coronæ,pistricisq; caudam,& notium piscē, & caput cum reliquo corpore ad umbilicum eius qui Engonasin uocatur. Ophiuchum à genibus ad humeros,& anguem totum pręter caput & ceruicem,quæ extiuo circulo tendit ad coronam: Bootem propè totum terra tenet tectum.Exoritur autem & Orionis corpus ad zonam,& Eridanus totus apparet. Exortu leonis reliqua pars occidit coronæ, cum capite & ceruicibus anguis & ophiucho: Engonasin autem qui uocatur, eius præter sinistrū genu & pedem nihil apparet, & Bootes totus obscuratur: Exoritur autem caput hydræ cum lepore toto, & procyon cum pedibus prioribus canis,&aquila tota. Virgo autem exoriens, nō pauca sidera obscurat.Nam statim lyra occidit cum sagitta & delphino,& oloris à capite corpus usq; ad caudam propè occidit,& flumi nis prior pars,& equi caput cum ceruicibus:Exoritur autem hydra fine crateris,& canis totus,& nauis Argo fine totius ueli. *Chelis exorientibus* uidetur & Bootes exoriens totus, & tota nauis apparet Argo hydraq;,præter cacumē extremum caudæ,quod est sub terra. *Exorit* etiam genu & sura eius dextra qui Engonasin uocatur. Hunc eadē nocte occidere & exoriri licet uidere:reliquū autem corpus, cum scorpionis & sagittarii prouenit parte.Præterea cum chelis exoritur cauda cē tauri,occidit reliquum Pegasi corpus:& oloris extrema cauda, & Andromedæ caput cum umbilico Pegasi, & pistrix reliquo corpore ad ceruices,ut caput eius solum uideatur, & caput Cephei pendens ad pistricis occasum,cum manibus & humeris peruenit ad terram. Scorpione exoriēte duæ partes fluminis occidunt,& reliquum corpus Andromedæ cum capite Cephei.Occidit etiā Cepheus capite ad humeros,quæ pars est extra arcticū circulum constituta: obscuratur etiam Cassiopeia resupina occidēs:Exoritur autem corona, quæ ante cē tauri pedes iacere existimatur:& reliquū corpus hydræ quod caudam esse suprà diximus.Prouenit etiā & corpus cē tauri,quod equina figura uidetur,& ipsius hominis caput, & hostia quam tenere eum supra diximus. Deniq; ad id corpus quà fine pedes eius sunt priores: Ophiuchi autem duntaxat caput exoritur, & ipsius anguis caput quod est contra coronā. Sagittarium exorientē ophiuchus totus exoriens insequitur,& anguis qui ab eo tenetur,caput eius qui Engonasin uocatur, & sinistra manus eiusdem: deinde lyra tota cum Cephei capite & hu-

meris exit ad lucem. Occidit autem canis maior cum Orione toto & lepore, & aurigæ superiore parte corporis: præterea caput & pedes eius: Occidit etiã totus Perseus præter crus & pedẽ dextrum, Argo autem pupim solã relinquens, peruenit ad terram. Capricornus exoriẽs, hæc sidera ad terram premere uidetur, reliquam figuram nauis, & signum quod procyon uocatur. Eodem tempore & reliquum corpus occidit Persei. Exoritur autem olor cum aquila, & sagitta, & ara, quam proximam esse notio polo diximus. Aquarius exoriens ad dimidiam partem corporis equi pedes secũ de terra ducit, & caput cum ceruice Pegasi. At etiam centaurus à cauda ad humeros uirilis corporis occidit cum hydræ capite & ceruicibus. Piscibus exorientibus occidit reliquum hydræ corpus & ipse cẽtaurus: Exoritur autem piscis qui notius uocatur, & Andromedæ dextra pars corporis.

DE SOLE ET LVNA AC CAETERIS PLANETIS.

Ic igitur exorientibus duodecim signis, reliqua corpora occidere & exoriri uidẽtur. Sed, ut ante diximus, nũc protinus de solis cursu dicemus. Necesse est enim solem, aut ipsum per se moueri, aut cum mũdo uerti uno loco manentem. Quod si maneret, necesse erat eodem loco occidere & exoriri, à quo pridie fuerat exortus: quemadmodũ signa eodẽ loco semper oriuntur & occidũt. Præterea, si ita esset, necesse erat dies & noctes oẽs æquales esse, ut q̃ longus hodiernus dies fuerit, tam longus semper sit futurus: Itẽ nox simili ratione semper æqualis permaneat. Quod quoniã nõ est, illud quoq; necesse est, cũ uideamus esse dies inæquales, & solem alio loco hodie occasurũ, & alio heri occidisse. Si igitur aliis locis oritur & occidit, necesse est eum moueri, non stare. Solem autem contra mundi motum currere sic possumus intelligere: Euenit enim, ut duabus ex causis sidera nõ possimus uidere. Quarũ una est, cum abierint infra terram, nostrum quoq; effugere conspectum, ita ut inferiori hemisphærio ostenditur. Altera autẽ est ratio, quòd propter fulgorem solis & uim maximam luminis sidera obscurentur: siue quod stellis obsistit, ne candor earũ ad nostros perueniat aspectus: siue sua magnitudine luminis officit oculis nostris, ne præter eius ignem aliam rem superiorem perspiciamus, quod magis ueri similе uidetur. Neque enim solis ignem eiusmodi uidemus, cuiusmodi reliquos ignes intelligimus: sed ita lumen auertit nostrũ, ut ipse quoque nobis non igneus, sed albus esse uideatur. Præterea in unaquaque nocte undecim signa

neceſſe eſt apparere: ideo, quod uno ſigno ſol ipſe nixus, iter conficere uidetur, cuius figuram corporis ipſe ſuo lumine obſcurat: cum eo enim ſigno & occidere & exoriri uidetur. Nonnulli dicũt nos duodecim ſigna dũtaxat hac ratione perſpicere poſſe, ſi in eius ſigni prima nouiſſimaq; parte conſiſtat. Habent enim duodecim ſigna partes eiuſmodi, ut unumquodque eorum in longitudine habeat partes triginta, in latitudine autem partes duodecim. Itaque euenit, ut in longitudine ſignorum annus ſit, in latitudine autem ſinguli dies ſint. In prima parte ſigni nihilominus nos reliquum corpus eius ſigni uidere poſſe nonnulli dicunt. Simili ratione, & ſi fuerit in extrema parte ſigni, quod fieri non poteſt. Nam cum ſol ſit in qualibet parte ſigni, & exoriatur, ita magnum uidetur habere fulgorem, ut omnia ſidera obſcuret. Illud tamen poteſt euenire, ut cum ſol ſit in prima parte ſigni & occidat, reliquum corpus eius ſigni appareat. Sed certius & uerius eſt, undecim ſigna quam duodecim apparere poſſe. Præterea quæritur, quare ſol contra mundi inclinationem currens, uideatur *cum ipſa* ſua ſphæra occidere & uerti. Nam ſi ſol contra ſiderum occaſum cur-reret, de ariete ad piſces, non ad taurum tranſiret. Exoriri etenim piſces prius quàm aries, & occidere perſpiciuntur: & ita mundus uerti uidetur, ut prius piſces quàm aries occidant. Itaq; diebus triginta ſol in ariete currens, & eius corpus obſcurãs, ſic duntaxat apparet ſol, ut ex eo loco, quo aries antè exoriri uideatur: & poſt dies triginta, ſol uidea tur ab eodem loco ſurgere, ex quo loco taurus antè exoriri uidebatur. Igitur apparet ſolem ab ariete ad taurum tranſire. Quod ſi ita eſt, neceſſe eſt eum cõtra mundi inclinationem currere. Quare autem euenit, ut antè diximus, quod uidetur cum mundo ſol uerti: Eius ſimilis hæc cauſa eſt: Vt ſi quis in nauiculæ roſtro ſedens, inquirat ad puppim tranſire, & nihilominus ipſa nauis iter ſuum conficiat: ille quidẽ uidebitur cõtra nauiculæ curſum ire, ſed tamẽ eodem peruenier quo nauis. Hoc autem ſic etiam facilius intelligetur, ſi nauim diuiſeris in partes trecentas ſexaginta, quemadmodum ſol diebus trecentis ſexaginta ſimul mundum tranſigit. Eodem modo ut ante diximus ſi nauis ſit diuiſa, & in una parte de trecentis ſexaginta conſtituatur quilibet eorum: nauis autem habet unius diei curſum, ille quidem contra nauim ire, ſed cum ea ad locum definitum peruenire intelligetur. Nõ enim extra nauim eſt, quia roſtro ad puppim tranſit, ſed ipſa naui continetur. Item ſol cum per ipſum mundum iter conficiat, & eo

contineatur, uidetur contra mundum ire, sed cum eo peruenit ad occasum. Cum enim mundus trecenties & sexagesies se conuerterit, tũc sol iter annuum conficit.

DE LVNA.

QVoniam de sole quæ uisa sunt nobis utilissima esse, literis mãdauimus, nũc de luna dicemus. Etsi alta conati perscribere, uelut natura uoluminis ut pro natura uolumen sit, ad hoc loci deuenimus, ne nõnullis incaute huius rationẽ relinquẽtes, aut propter magnum laborẽ defeciisse, aut insciẽtia superati nõ ualuisse persequi uideamur. Nos autem nõ illorum æstimationis timẽdæ causa persequi instituimus, sed consuetudinis nostræ rationem demonstrasse. Sed quòd alterius quæri uolumen hoc perlecto noluimus: nec tandiu rem cogitatam scripto aliorum ad desideriũ adducere. Præterea cum reliqua omnia diligẽtissime persecuti fuerimus, alienum uidetur esse, nos nõ eandem persequi causam. Quare (sicut ante diximus) ad inceptum reuertemur, & necessario totidem uerbis de luna ac sole dicemus, ita: Lunam à sole per alios exortus & occasus necesse est moueri, non stare: idq; facilius, quàm de sole licet intelligere: neque enim tam magnus ardor eius est, ut officiat oculis nostris, neque ut sol dies triginta uno quoque signo uehitur, ut difficile sit intellectu, quãta particula luminis aut ipsius signi supereſse uideatur, cum ad aliud trãsierit signum. Luna enim cum duodecim signa diebus triginta percurrat, licet in-

telligere duobus diebus & ſex horis in alio ſigno eſſe: Hęc autē cum à ſole lumen accipiat, & ita nobis lucere uideatur, non eſt ueriſimile de tam multis cauſis, potius eam conſtare quàm moueri. Si enim ſuo lumine uteretur, illud quoque ſequeretur, eam ſemper æqualem eſſe oportere, nec die triceſimo tam exilem aut omnino nullam uideri. Cum enim totum tranſegerit curſum, ſola autem ad aliud tranſire ſignum intelligatur. Præterea ſi ſuo lumine uteretur, huius nunquam eclipſin fieri oportebat. Sed ne dubium fiat, quare ſolis eclipſis fieri poſſit, qui utriſque lumen dare ſupra ſit dictus: lunæ autem non facile fiat, cū alieno lumine utatur. Eius hæc ueriſſima, ut arbitramur, eſt cauſa. Luna enim cum ex toto mundo & omnibus ſtellis maxime terræ proxima uideatur, & ad acies noſtras perueniat: Et quodam tē-pore torrens perueniat ad eundem locum ſigni, quo ſol uehitur, obſeruare lumen eius à noſtro conſpectu uidetur. Hoc autem maxime euenit die nouiſſimo cum luna tranſierit in duodecim ſigna, & cum ſol ad aliud ſignum tranſire uideatur, & proxima fiet illi. Quod euenire ſic etiam poteſt intelligi: Vt ſi quis alicui manum planam ad oculos admouerit, quanto magis ſic fecerit, hòc minus uidere poterit: & quanto longius ab eo diſceſſerit, hòc magis illi omnia poterunt apparere. Simili ratione, cum luna ad ſolis locum peruenit, tunc proxima eius uidetur eſſe, & radios eius obdurare, ut lumen emittere non poſſit. Cum autem luna ab eo loco diſceſſerit, tunc ſol lumen eiicit, & ita ad noſtra adiicit corpora. Lunæ autem eclipſis ſic euenit: Cum propè una dimenſione ſit luna cum abierit ſol ſub terram duntaxat hoc modo: ut per mediam terram, ſi quid directum traieceris, contingere poſſit ſolem ſub terram, lunam autem ſupra terram. Quod cum ita euenit, neceſſe eſt ſolis radios propter magnitudinem terræ ita eſſe dimiſſos, ut lumen eius quo luna lucet, non poſſit ad eam peruenire: & ita exiſtimatur fieri eclipſis lunæ. Quæ ſi ſuo lumine uteretur, licebat ne apparere quidem nunquam ſolem: ideo, quòd luna, nihilominus luceret. Sic nanq; accipit lumen, ut luceat cum ſol uenerit per terras, ſed nō ut aliquem locum concluſiorem totumq; ſpatium impleat lumine. Si quis noſtrum ſteterit in eo loco quo ſol maxime lucet, reliquis partibus lumē à ſole accipiens præbebit: id in luna fieri iuuenitur. Eam ſolis lumine accepto, lucere nōnulli exiſtimant reuibratione. Nonnulli exiſtimant cum dicit ſol in ariete aut in quolibet ſigno eſſe, cum ſupra ipſas ſtellas arietis iter facere. Qui autem hæc ra

tione utuntur, longe à uera ratione errant. Nam neque ſol, neq; luna proxime ſidera apparent. Hac etiam de cauſa nonnulli ſeptem ſtellas erraticas finxerunt, adiungẽtes eodem ſolem & lunam, quòd cum quinque ſtellis feruntur: luna enim proxime terrã eſt, itaque triginta diebus totum mundum exiſtimatur tranſire. Id hac euenit ratione: ſi circulos quos intra zodiaci ambitum fecerit, eosq; ſic hoc interuallo finxerit, ut terra ſit in medio, & unam à terra ad lunam menſionem fecerit, quam Græci τόνον appellauerunt. Hunc autem, quia certum ſpatium non potuerunt dicere, tonon dixerunt. Igitur abeſt luna à terra, tono uno. Hac igitur re, quòd breuiſſimo circulo deuehitur, diebus triginta ad primum peruenit circulum.

AB hoc circulo abeſt circulus ſemitonio: quo Mercurii ſidus uehitur. Itaq; diebus triginta ad alterum ſignum tranſiēs tardius, ab hoc circulo abeſt tono dimidio: quo loco iter Veneris ſuum dirigit aſtrum, tardius quàm Mercurii ſtella conficiens curſum. Tranſit enim ad aliud ſignū diebus triginta. Supra huius ſtellam ſolis eſt curſus, qui abeſt ab heſpero, quæ eſt Veneris ſtella, medietate toni. Ita cū inferioribus pariter peruolans anno uno duodecim ſigna percurrit, triceſimo die ad aliud tranſiens ſignum. Supra ſolem igitur & eius circulum, Martis eſt ſtella, quę abeſt à ſole tono dimidio. Itaque dicitur diebus ſexaginta ad aliud ſignum trāſire. Supra hunc orbem Iouis eſt ſtella, quæ abeſt à Martis hemitonio. Itaq; uno anno ad alterum trā ſit ſignum. Nouiſſima ſtella Saturni, quæ maximo uehitur circulo: hæc autem tono diſtat à Ioue. Itaque annis triginta undecim percurrit ſigna. Ab ipſorum tamen ſiderum corporibus Saturnus abeſt tono uno & dimidio. Hac igitur ratione potes ſcire, neque ſolem neque lunam contingere ſtellas, & nihilominus per zodiacū circulum uerti. Hinc etiam poſſumus intelligere, lunam eſſe minorē ſole. Omnia enim quæ proxima ſunt nobis, maiora neceſſe eſt eſſe, quàm quæ longo diſſidente interuallo uidemus. Igitur lunā uidemus proxime nos eſſe: neq; eam maiorem noſtro aſpectui eſſe quàm ſolem. Illud quoque neceſſe eſt, cum ſol non longe abſit à luna, & à nobis maior uidetur, ſi prope acceſſerit, multo maiorē futurum. Præterea neceſſe eſt, ut ante diximus, aut nullam ſtellam erraticam eſſe, aut ſolem pariter cum luna ut reliquas ſtellas errare. Si enim quiſquam mihi poteſt demonſtrare quinque ſtellarum curſum, & dicere, quòd hodie quęq; coram ad aliud tranſeat ſignum, quemadmodum de ſole & luna fieri uidemus, & nihlominus ſuum efficit curſum, non eſt erratica. Si autem dubium eſt, quòd hodie tranſeat, & ad aliud ſignum compari ratione cum luna feratur, & ſuum circulum dirigat, quemadmodum ſtellæ quæ ſunt dubię, neceſſe eſt has quoque errare: ſed non euenit ut errēt, præſertim cum ſuo tempore ad curſum reuertantur. Igitur ne ſtellæ quidem, cum certo tempore ad ſuum ſignum reuertantur, poſſunt errare, niſi forte uolumus accipere excuſationē, quòd duo corpora magna facilius poſſunt obſeruari q̄ ſingulæ ſtellæ, quę non certos curſus conficientes uidentur apparere.

DE VENERE.

SEd stellas quinq; nonnulli has aiunt esse: Veneris, Mercurii, Iouis, Saturni & Martis. E' quibus esse maximam colore candido, nomine Hesperum, & eam appellari Venerem. Hæc stella non abest à sole lõgius duobus signis supra eius circulũ collocata, sicut ante diximus. Apparens autem maxime noctu, sed toto mense non plus indeficiẽs potest uideri. Sed totus Hesperus incertos efficit cursus, non eodem tempore ad præteritum transiens signum.

DE MERCVRIO.

SEcunda stella est Mercurii nomine Stilbon, totus acuto lumine, sed in aspectu non magnus. Hic autem à sole non longius abest signo uno. Qui semper eosdem cursus efficiens, modo nocte prima, modo autem ab solis exortus incipit apparere, nonnunquàm etiam perpetuo signis IIII. est cum sole: rediens autem cum sole, non amplius est quàm tertia pars signi.

DE IOVE.

IOuis aũt ſtella nomine Phaëthon, corpore eſt magnus, figura autem ſimilis lyræ. Hic autem duodecim ſigna annis totidem tranſire exiſtimatur, & unoquoque anno nuſquam apparere dicitur, non minus dies triginta, non plus quadraginta. Sed maxime obſcuratur, cum occidit cum ſole. Exoriens autem apparet antequam ſol.

DE SATVRNO.

SOlis stella nomine Phaëthon: corpore est magno, colore autem igneo: similis eius stellæ, quæ est in humero dextro Orionis. Hic per duodecim signa assidue ferri uidetur: nonnunquam etiam cum solis ipsius sideribus apparet, modo aliis partibus adiectis circuli. Hanc stellam nonnulli Saturni esse dixerunt. Redire autem ad signum annis triginta, & quotannis non apparere, non minus dies triginta, nec amplius quadraginta.

DE MARTE.

RElíquum est nobis de Martis stella dicere: quæ nomine Pirois appellatur. Hic autem non magno est corpore, sed figura similis est flammæ. Nonnunquam autem cum ipsius solis sideribus concurrens, omnia peruolat signa, sedens ad primum signum non longius biennio.

QVod ad quinque ſtellas attinet, hucuſque ſatis arbitramur dictum: nunc autem demonſtrabimus, quibus de cauſis menſes intercalentur. Quoniam tempus omne metimur die & nocte, menſe & anno. Sunt qui diem nobis diffinierunt, quàm diu ſol ab exortu ad occaſum perueniat: noctis autem ſpatium conſtituerunt eſſe, quàm diu ſol ab occaſu rurſum ad exortum reuertatur. Mẽſem autẽ quàm diu luna zodiacum circulum perducat. Annum uoluerunt eſſe cum ſol ab æſtiuo circulo redit, & zodiacũ ad id ſignum unde incipiebat, permetitur.

C. IVLII HIGINI, POETICI
Aſtronomici, FINIS.

ציר אמונים למרפא

Or ordum est, ut sit mens sana in corpore sano.

שיר על יד אמונים למרפא

::עשרה:חכמות:נתן